

Hist. Germ. IV. Schlesien. An. 305.

Aus

der Bibliothek der Augustiner Chorherrn

zu Breslau.

R. 156. 19

ACTA ET CON-
STITUTIONES SINODI DIOE-
CESANAE, QVAE FUIT CELEBRATA
VVratislauiæ in Insula S. Ioannis, Anno
M. D. XCII. mense
Octobri.

Præsidente

ILLVSTRISSIMO ET REVE-
RENDISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
Domino Andrea Episcopo VVratislauiense, Co-
ronæ Regni Boëmiae Principe Ligio, superioris
et inferioris Silesiae Capitaneo
supremo.



IMPRESSA NISSAE, PER ANDREAM
Reinbeckel. M. D. XCV.

440711

BIBLIOTH. REG.
UNIVERSIT. VRATISLAV.
EX HEREDITATE
STEINWEHR.



428 2606
viii 362

NOS ANDREAS, DEI
GRATIA, EPISCOPVS VVRA-
tislaviensis, Corona Regni Boemia
Princeps Ligius, superioris & infe-
rioris Silesia Capitaneus, toti Clero
Dioecesis nostra cuiuscunq; dignitatis & gradus
salutem in Domina. Quo instituto & consilio
Synodum Dioecesanam celebrauerimus, prolixiori
aliqua & superuacanea repetitione opus esse non
existimamus. Prater id enim quod a nobis euiden-
tissima & grauisima rationes & causa in ipso Sy-
nodi celebranda initio, exposita fuerunt: nemini
ex vobis reperiri arbitramur, qui non vel ipse sum-
mam urgentemq; utilitatem huius instituti, nullo
etiam monente agnoscat, velex sacrosancti Conci-
lij Tridentini Decretis & sanctionibus: exemplo
item Ecclesie Catholicae Antistitum, & laudabili
utiliq; consuetudine intelligat. Nos sane hoc re-
speximus maximè ut maiorum insistentes Vesti-
gijs, communicato consilio & accurata delibera-
tione, in Synodo nostra ea constitueremus, qua huic
Dioecesi publicè priuatimue prodesse viderentur:
Quo nomine easdem deliberationes de Synodi vo-
luntate

luntate scripto comprehendere curauimus, ut ad mul-
torum peruenirent notitiam & perpetuitati infer-
uirent. Quia verò docuit, monuitq; nos ea fides &
obedientia, qua Sanctæ Sedi Apostolica deuincti su-
mus, & quam hactenus integram & illibatam
conseruauimus, ut quid in Synodo Dioecessana
actum esset, quidue conclusum, iustissimo eiusdem
Sedis Apostolica iudicio & censura subijceretur:
omnia ea sicut gesta & conscripta fuerunt, Sanctis-
simo & Beatissimo in Christo Patri ac Domino,
Domino Clementi, diuina prouidentia huius nomi-
nis Papa octauo, Sacrosanctæ Romanæ ac Univer-
salis Ecclesiæ Pontifici Maximo, Domino nostro
clementissimo, Romam transmisimus. Sua au-
tem Sanctitas, licet alijs grauissimis totius Chri-
stianæ Reip: oneribus, & difficilimis negocijs,
si unquam alias, nunc maxime implicata esset,
tamen sicuti fidelissimus Christi ouium pastor, no-
stræ Dioecesi deesse noluit: quin ex paterna be-
nignitate, processum & Decreta Synodi nostræ, Sa-
cræ congregationi Illustrissimorum patrum Tri-
dentini Concilij interpretum, iudicio, expendenda
dedit: quo factò Illustrissimus & Reuerendissimus
Dominus, Dominus Hieronymus Tituli Sancti
Pancratij

Pancratij S. R. E. presbyter Cardinalis Mat-
thæus, tandem ad nos ex urbe remisit, cuius Il-
lustrissima D. literas, quod ijs Synodi nostræ Decre-
ta, autoritate S. Sedis Apostolicæ approbentur &
confirmetur, unà sub initium imprimi curauimus,
sicuti etiam ad finem adiecta sunt, qua idem Il-
lustrissimus Dominus Cardinalis, Constitutioni-
bus Synodalibus appresso Sigillo Roma subiecit.
Eadem Decreta igitur nunc Typis Nissensibus in
publicum damus, ac beneuolè hortamur, monemus,
ac mandamus serio omnibus Dioecesi subiectis no-
stræ, præsertim verò qui Deo & sacris suam cōsecra-
runt vitam, ut non solum has Constitutiones dili-
genter manibus voluant & reuoluant: verum
etiam re ipsa specimen edant eiusmodi, unde appa-
reat facta & opera optima nostræ & Synodi volun-
tati & Sanctionum præscripto consona esse & re-
spondere. Quod eò magis futurum arbitramur,
cum Sanctissimi D. N. & S. Sedis Apostolicæ auto-
ritas & approbatio accesserit. Optamus vos
omnes in Domino rectè viuere & valere. Da-
tum ex Civitate nostra Nissensi die 28. Septem-
bris, Anno Millesimo Quingentesimo
Nonagesimo quinto.

Epistola

EPISTOLA
ILLVSTRIS SIMI CARDINALIS
Matthæi ad Reuerendissimum D. Episcopum
VVratislaviensem de Synodi
approbatione.

PERILLVSTRI ET REVERENDIS
simo Domino vti fratri, Domino Episcopo
VVratislaviensi, &c.

Per illustris & Reuerendissime Do-
mine vti frater. Synodum Dioce-
sanam VVratislaviensem, ab Am-
plitudine T. istic nuper habitam,
& ad Sanctissimum Dominum nostrum missam,
Illustrissimi Patres Tridentini Concilij interpre-
tes, quibus id munus à Sanctitate sua mandatum
fuit, accuratè perlegerunt, & maturè examina-
runt: in eaq; summam Amplitudinis T. pietat-
em, deuotumq; in Catholicam religionem, & in
hanc sanctam sedem studium agnouerunt. Itaq;
non admodum multa necesse fuit immutare, vel
corrigere. Eam ipsam Synodum nunc ad Ampli-
tudinem T. mittimus, paucis in locis aptatam,
& emendatam, sicut in eius margine descriptum
videre licebit. Nihil autem opus esse existima-
mus

mus illam cohortari ut curet tam salutaria ipsius
Synodi sic aptata, decreta à suis subditis diligen-
ter custodiri, atq; executioni mandari: quando-
quidem eam ad suum pastorale munus, graue
quidem, & laboriosum, in istis praesertim locis sibi
impositum, sedulo, ac sollicitè explendum, satis per
se ipsam incitatam scimus. Tantum diuinam
clementiam rogamus, Amplitudini T. concedat,
ut ex pio hoc labore, & egregia opera, quam in
suorum subditorum salute procuranda suscepit, v-
berrimum fructum percipere queat. Qua in re
Illustrissimi Patres, ubi opus erit, sua officia, &
studia Amplitudini T. libere animo pollicentur,
& omnia prospera, & salutaria à Domino precan-
tur. Roma die XXV. Augusti, M. D. XCIII.
Amplitud. T. Perillustri & Reuerendissima.

Vti frater Studiosiss. Hier:
Card. Matthæus.

ORDO ET PROCESSVS
Synodi Diœcesanæ.

IN NOMINE SANCTISSIMÆ
ET INDIVIDUÆ TRINITATIS,
DEI PATRIS, ET FILII, ET SPI-
RITVS SANCTI. AMEN.

N tam dubia, & anticipi-
res humanæ omnes positæ
sunt conditione, vt nihil in
ijs tam perfecti reperiatur,
nihil vel legum, vel sanctionum repa-
gulis, solerti, ac prudenti legislato-
rum industria, tam munitum; quin lu-
brica, ac præcipiti, malorumq; pluri-
morum instigatrice, & effectrice cupi-
ditate, nouisq; artibus, aut callidè mul-
ta eludantur, aut malitiosè peruertan-
tur. Quo circa omnibus ijs, qui ad ali-
quod primariæ dignitatis fastigium
euecti sunt: perpetua quædam incum-
bit necessitas, ne vnquam securitati,
A aut

aut legum confisi constantia, somno-
lentos, parumque perspicaces guberna-
tioni afferant oculos; sed eorum aciem
hinc inde magna cum vigilantia cir-
cumferant, ut exigente usu, & succres-
cente malitia, quouis tempore novis
legibus condendis, antiquis verò re-
staurandis, atque ad usum reuocandis,
si communi consulendum saluti sit, per-
petuo excubias agant. Quod cuius-
cunque ordinis, excellentissimos sem-
per Magistratus feliciter capisse, &
magno cum successu Imperia, Re-
gna, ditionesque stabilisse, & in exopta-
ta tranquillitate, & harmonia conser-
uasse, historiarum tam sacrarum, quam
profanarum Codices, illustribus exem-
plis passim referunt & testantur.

Hunc præclarum imitatus morem
Reuerendissimus & Illustrissimus in
Christo pater, ac Dominus, Dominus:

AN-

ANDREAS, Dei, & Apostolicæ
sedis gratia Episcopus Wratislauiensis,
Coronæ Bohemiæ Princeps ligius,
Sacrae Cæsareæ Maiestatis consilia-
rius, & supremus superioris & infe-
rioris Silesiæ Capitaneus, cum magno
animi dolore videret, & re ipsa expe-
riretur, labascente prisca pietate, &
Catholicæ Religionis disciplina cor-
ruente, hisce temporibus Ecclesiæ
membra suæ Diocesis utili aliquā cor-
rectione, & reformatione omnino in-
digere; nihil quicquam ab ipso statim
initio accepti Episcopatus, sibi præ-
clarius, aut optabilius iudicauit, quam
ut sicuti in politica gubernatione, ita
in Ecclesiastico munere, quoad eius
fieri possit, omnia pristinae integritati
restitueret, & agrum Domini à senti-
bus & zyzanijs emundaret. Itaque ac-
curata, & diligenti cum Venerabili

A 2

Capi-

Capitulo Cathedralis Ecclesiæ Wrat-
islauiensis deliberatione suscepta, pu-
blica citatione ad valuas ecclesiæ Ca-
thedralis sancti Ioannis Wratislauia,
& alibi etiam in Collegiatis, & prima-
rijs Ecclesijs parochialibus affixa,
vocatis omnibus, & singulis legitimè,
qui de iure, vel consuetudine fuerant
vocandi, synodum Dioecesanam Wra-
tislauia celebrandam indixit: vt Deo
annuente: communi consilio proposi-
tum suum exequi inciperet, & quæ ab
antiquo sancte, & salutariter consti-
tuta quidem: fragilitate tamen, & per-
uersitate humana neglecta, & corru-
pta fuerunt, oportunis remedijs, no-
uisque, si opus esset, constitutionibus
in pristinum statum, & integritatem
reuocaret.

Die Synodi adueniente, Reueren-
dissima Celsitudo sua, in profesto San-
cti

cti Michaelis, maturè Wratislauiam
venit, & seposita omnium politicorum
negociorum cura, quæ ad Synodi ce-
lebrationem secundum prædecesso-
rum Episcoporum Wratislauien-
si-um morem, vsui & commodo essent, in
ordinè redegit. Promotorem synodi
Dominum Paulum Albertum, S. Theo-
logiæ Doctorem, Scholasticum; Bona-
uenturam Han, l. V. Doctorem, Deca-
num Sanctæ crucis, Secretarium:
Lectorem verò, Dominum Conra-
dum Waibelium, S. Theologiæ
Doctorem, Vicarium in spiritualibus,
ac officialem generalem, omnes cathe-
dralis ecclesiæ Wratislauensis, Præ-
latos, & Canonicos constituit: Duo
præterea notarij publici, qui Synodi
acta diligenter annotarent, fuerunt
requisiti, Dominus Adamus Kesselius
Ecclesiæ Collegiatæ sanctæ Crucis

A 3 Cano

Canonicus, & Daniel Zvrick vtriusque
Capituli Wratislaviensis notarius
iuratus. Priusquam de articulis Reli-
gionem, cultum diuinum, mores cleri-
corum, & temporalia concernentibus,
consultatio institueretur: Reuerendis-
simus Dominus Episcopus singulari
in Religionem Catholicam Zelo, &
cura, vero animarum pastore digna, a
precibus initium fieri debere censuit;
ob id supplicationes, seu litanias tri-
bus diebus ante Synodum decantari,
& ieiunia pro fausta, & felici conti-
nuatione Synodi, deuotè peragi ius-
sit, ipseque Episcopus audito prius ma-
gna deuotione S.S. missæ officio, insti-
tutæ ex cathedrali S. Iohannis Ecclesia
in Collegiatam S. Crucis proces-
sioni, subsequentibus Prælati, & Ca-
nonicis, ac Aulica Sux Reuerendis-
simæ Celsitudinis, familia interfuit.
Colle

Collegiata Ecclesia sanctæ Crucis, si-
militer processionem pari cum deuo-
tione in Cathedralem Ecclesiam ab-
soluit. Ipsa indictionis Synodi die,
mane hora quinta, & sexta, campana
maiori, ad synodum duabus vicibus
signum datum est: vltimo vero, & ter-
tio impulsu circa horam septimam da-
to, Reuerendissimus Dominus Epi-
scopus comitantibus eum Reuerendis-
simo Domino Adamo Episcopo Ni-
copoliense Abbate in arena, & suffra-
ganeo Wratislaviens: D.D. Præla-
tis, & Canonicis Ecclesiæ Wratisla-
uiensis, atque septem Abbatibus, alioque
clero subsequente, Ecclesiam Cathe-
dralem Wratislaviensem Diui Ioan-
nis ingressus est, & cum preces Domi-
no Deo flexis genibus, peculiari sca-
bello ad inferiorem gradum ad hoc
disposito, obtulisset, Chorus incepit
hymnum

hymnum, *Veni sancte Spiritus*: quo finis-
to Reuerendissimus D. Episcopus
Versum, *Emitte Spiritum tuum*, vnà cum
oratione, *Deus qui corda fidelium*, &c.
Choro debite correspondente, devo-
te decantauit. Postmodum recedente
Reuerendissimo Domino Episcopo
in sacristiam, Promotor synodi, per
Venerabilis capituli Notarium omnes
ad synodum spectantes, ex scheda
ordine conscripta euocauit, atq; cui-
bet locum suum assignauit, in stalli-
videlicet dextro, versus altare, prope
stallum, aut sedem Reuerendissimi
Domini Episcopi, primo loco Reue-
rendissimum Dominum Suffraga-
neum, infula, & stola ornatum, ad la-
tus demissiore tamen loco, cum pedito
Episcopali, sacellano assistente. Dein-
de Dominos; Ioannem Sitsch Præposi-
tum, Adamum Landeck Decanum,
Christo-

Christophorum Gerstmannum Cu-
stodem, Andream Bogursky I. V.
Doctorem, Vincentium Salinum, Ma-
gistrum Balthasarem Habicht, Bona-
uenturam Han I. V. Doctorem, Geor-
gium Scholtz S. T. Doctorem, & Ma-
gistrum Gasparum Hiltprandum, Præ-
latos, & canonicos Ecclesiæ Cathedra-
lis Wratislauen: Adamum Kesselium
Ecclesiæ Collegiæ S. Crucis Cano-
nicum, præterea concionatorem, & Pœ-
nitentiarium Ecclesiæ Cathedralis.
Item Magistri Hospitalis S. Matthiæ
ablegatum, & Andream Rosnecium
Præpositum Falckenbergensem, collo-
cauit, sinistri verò lateris sedes, Domi-
ni Abbates, sine infulis tamen occupa-
runt, videlicet D. Hieronimus Luben-
sis, D. Ioannes Sancti Vincentij Wra-
tislaviæ, Iacobus Saganensis, Domi-
nus Nicolaus Heinrichouiensis, D.
B Antonius

Antonius Camenicensis D. Gasparus
 Grissovien: D. Georgius Iemelnicen-
 sis, & Laurentius Girlicius ablegatus
 Abbatis Raudensis. Nomine capitu-
 li Ecclesiæ Glogouiæ maioris, Geo-
 rgius Sculteti Præpositus, Martinus
 Lemhusius Decanus, & Gasparus Sel-
 lius Archidiaconus. Nomine Capitu-
 li Nissensis, Nicolaus Tinczman Me-
 dicinæ Doctor. Nomine Capituli O-
 poliensis, Iacobus Zuretius Decanus,
 Ioannes Kuna Archidiaconus, Ioan-
 nes Zvvick Custos. Nomine Capituli
 Rathiboriensis, Petrus Sebisch Deca-
 nus, & Sebastianus Tieffovvsky Cu-
 stos. Nomine Capituli Glogouiæ su-
 perioris, Albertus Petricius Deca-
 nus, Matthæus Adam Præpositus cru-
 ciferorum Nissæ valetudine aduersa
 impeditus abfuit. Infra Abbates ipso-
 rum Sacellani ordine stabant, baculos
 manibus sustinentes. Commendato-
 res

res Lignicensis, Scvvidnicensis, &
 Cruezbergensis, excusatione absen-
 tiæ vñ sunt. Ex præcentoribus adfue-
 runt Chori minoris Cathedralis Ec-
 clesiæ, & minoris Chori Collegiatæ
 Ecclesiæ Sanctæ Crucis, & in Crypta;
 Postea Archipresbyteri, Parrochi, &
 alij Sacerdotes ab vtraq; parte fuerunt
 locati. Cum suo iam quisque loco con-
 sedisset, Reuerendissimus Dominus
 Episcopus, pallio, mitra, alijsq; Pontifi-
 calibus amictus solita cum ceremonia,
 & sacrorum ministris Ecclesiasticis
 viris stipatus ex sacristia, ad altare pro-
 cessit: vbi Ialdistorio inclinatus in-
 cepit Antiphonam: *Exaudi nos*: respon-
 dentibus duobus Canonicis Wrat-
 lauiensibus Dominis, Doctore Nico-
 lao Tinczmanno, & Magistro Gaspa-
 ro Hiltprando Regentibus, *DOMINE*:
 reliquum Chorus. *QVONIAM & SAL-*
UT M. cum clero absoluit. Post *EXAUDI*:

Reuerendissimus Dominus Episcopus orationem, *OMNIPOTENS SEMPTERNE DEVS*. Ex Pontificali Romano recitauit. Qua oratione finita Reuerendissimo ministrantes Vicarij duo flexis genibus Litaniam *KYRIE ELEYSON* inceperunt, toto choro correspondente, usque ad versum: *Vt hanc presentem Synodum visitare, disponere, & benedicere digneris*, quem versum ter Dominus Episcopus facta cruce repetijt, Choro correspondente: *TE ROGAMUS AUDI NOS*. Deinde Vicarij pro sequebantur litaniam usque ad finem. Tandem Reuerendissimo incipiente, *OREMUS*: Duo Vicarij simul respondebant: *FLECTAMUS GENUA, & LEVATE*. Absoluit Reuerendissimus orationem ex Pontificali Romano, depositoque pluuiali accipiebat casulam à duobus Canonicis, & incipiebat missam solemnem de sancto, spiritu, more Romano.

Romano. Ad *AGNUS DEI*. Domini Canonici ministrantes, Reuerendissimo pacem dederunt, vnus suffraganeo, alter Lubensi Abbati. Absoluto S. S. Missæ officio, Reuerendissimus dedit benedictionem, quam circa, *PAX DOMINI*, iuxta Pontificale Wratislauiense omisit. Porro in sacristia Pontificalem ornatum exiit Reuerendissimus Episcopus, & sedem præparatam accessit, ibique confidens, Dominum Doctorem Georgium Scultetum Canonicum, de Synodo prudenter, & doctè perorantem, & integrè absoluentem audiuit. De cathedra autem aut gestu descendente Sculteto, Reuerendissimus per Promotorem proposuit suam Reuerendissimam, & Illustrissimam Celsitudinem desiderare: quò omnes ad Synodum spectantes, cum sua Reuerendissima Celsitudine in Curi-

am Episcopalem se conferrent, vt Synodus iusto ordine, & legitimo modo inciperetur. Omnes itaq; & singuli clerici cuiuscunq; status, ac dignitatis: Aulicis Reuerendissimi D. Episcopi præcedentibus, & tandem solo Promotore cappa, & Almutio induto præeunte, Reuerendissimum Dominum Episcopum in hypocaustum Curia suæ subsequebantur, Prelatis, & Canonicis solis habitum rubeum deferentibus, alij enim cappas, & superpellicea sua deposuerant. In eodem Hypocausto Reuerendissimus Dominus Episcopus solus ad mensam decenter ornata, illiq; imagine crucifixi appositæ, confedit, Rocketo, & cappa Rubea, & mucetto rubro indutus. Et latus quidem vnum Prelati, & Canonici Ecclesiæ Cathedralis, alterum vero Domini Abbates occupabant, reliquis

quis suo ordine, vt in Ecclesia considerant, medium diligentibus hypocausti locum. Cumq; omnes intentos oculos, & mentem haberent: à Regij Vatis dicto initium sumens Reuerendissimus Dominus Episcopus, *ECCE QVAM BONVM, ET QVAM IVCVNDVM, SIT, HABITARE FRATRES IN VNVM;* piam & grauem exortus est ad clerum orationem, iamque ab initio statim accepti Episcopatus totam ingenij vim, & mentis aciem eo intendisse aiebat, eiusmodi vt reperiret medicinam, quæ cleri disciplinæ exvscitandæ, & restaurandæ conducere videretur. Quam ad rem cum clerum conuocari necesse esset, omnino: se quidem diutius id in animo habuisse, vt Synodus celebraretur diocesana; Verum multa, longe necessarium, & honestum propositum impediuisse. Principio quidem

quidem pestem hinc inde miserabili
multorum strage grassantem; quam
paulo post gemina Regum Poloniae
electio, tumultusq; bellici in hac Pro-
uincia, & Regno Poloniae subsequuti es-
sent. Pace tandem cum eodem Regno
Poloniae conclusa, difficile legationis
munus à sacra Caesarea Maiestate Do-
mino nostro clementissimo, ad Serenis-
simum Poloniae Regem, & Regni or-
dines, sibi fuisse demandatum, ad certò
confirmandas iuramento pacis condi-
tiones, non multo post iterum ad Re-
gni Poloniae fines se missum ad Sere-
nissimum Sacrae Caes. Maiestatis fra-
trem Maximilianum reducendum. A
publicis itaq; negocijs vbi paulum
nancisci oçij, & veluti respirare licu-
erit, nihil se reliqui fecisse, vt aliquan-
do tandem indictione Synodi, & con-
uentu tam praestantium Ecclesiastici
ordinis

ordinis virorum voti sui, & expecta-
tionis optatae compos redderetur.
Quem felicem, & diu desideratum di-
em, cum hodie intueatur, Venerandum
etiam laudabili numero aspiciat Cle-
rum, plurimum se laetari, & sibi ex ani-
mo gratulari dicebat, atque pluribus
demonstrabat, non tantum bonum, &
iucundum esse fratres habitare, sed in
vnum etiam couenire: Exemplo id
Apostolorum fieri, qui suborta diffi-
cultate aliqua, & exigente nascentis
Ecclesiae usu, conuenerint; quemad-
modum historia de circumcisione Iu-
daeorum tollenda, & apud Christi se-
ctatores abroganda luculenter conte-
stetur, vbi re examinata Apostoli his
concluserunt verbis. *VISUM EST SPIRITUI
SANCTO ET NOBIS.* Hinc à successoribus
Apostolorum generalia Concilia:
ab inferioribus verò prouinciales &
diocæ-

diœcesanas Synodos fuisse celebratas:
Sicut etiam in Politica gubernatione,
& in Imperijs, Regnis, ac ditionibus
ritè ad normam & iustæ lance æquita-
tem constituendis, regendoque dignis
legum repagulis populo, ab Imperato-
re Comitibus, à Regibus, & Principibus
Diætæ, & conuentus, poscente usu in-
dicantur. Ob similes causas, & Eccle-
siæ vtilitatem se omnes, qui Synodo in-
teresse tenentur, conuocasse, vt saluta-
ria omnium consilia coràm audiret, de
ijs præcipuè rebus, de quibus in hac
Synodo agere constituisset, quæ po-
tissimum quatuor capitibus essent com-
præhensa.

Primo, quomodo Religio Catholi-
ca aduersariorum varijs artibus & ma-
chinationibus collapsa restaurari, &
S.S. Concilij Tridentini decretis con-
stans authoritas, ita quidem vt ibidem
à

à Patribus sanctè constituta, in poste-
rum in hac diœcesi observantur, conci-
liari, & stabiliri possit.

Secundo, cultus diuinus, qua ratio-
ne rectè ac decenter peragi debeat.

Tertio, corrupti Clericorum mores
quomodo reformandi.

Quarto, in temporalibus quid com-
modo Ecclesiarum statui debeat, tum
Clericorum certi redditus, quibus mo-
dis conseruandi, incerti verò ac dubij,
ad certitudinem quantum fieri liceret,
reducendi, & stabiliendi.

Atq; ità, si communicatis prudenti
circumspectione & examine accura-
to, tot sapientum consilijs, ac habito in-
de iusto delectu, de hisce sanctiones
conscriberentur, & ab earum observa-
tione in posterum non discederetur;
cēsuit Reuerendissimus D. Episcopus
nihil aliud, quam optimum successum

certo, expectandum esse, idque præter alias, in sacris Biblijs historias, Iosua testari exemplum, cum diuinæ memor legis, Iudaicum populum, ne DEOS colerent alienos, hortaretur &c.

Quibus sic propositis, Reuerendissimus per lectorem decretum de modo viuendi, & alijs in Concilio seruandis sessione secunda Concilij Tridentini, legi curauit; idque præcipue propter sessionem Clericorum, quod nulli propterea præiudicium generetur, nullique nouum ius acquiratur; quod tota Synodus per verbum **PLACET**, approbavit. Quæsiuit dehinc Synodi Promotor utrum omnes, qui de iure, vel consuetudine Synodo interesse deberent, præsentesset, monuitque ut absentium procuratores, aut ablegati absentia certam redderent rationem. Omnibus ex scheda per Notarium euocatis,

præsentesset vocati, honorifice assurgebant; postmodum oblata fuerunt literæ Michaelis Waltheri Abbatis Raudensis, qui infirmitatis excusatione usus, loco suo Laurentium Girlicium Sacellanum ablegauerat. à Magistro Hospitalis Sancti Matthiæ Wratislaviæ per fratrem Ioannem Prussium idem factum; similiter & à Zarensis districtus Archipresbytero, qui nomine suo ut Synodo interesset, Antonium Parochum Tostensem Wratislaviam misit. Pauci (incertum qua de causa) sine vlla excusatione emanserunt; ij si ex inobedientia, & contumaci neglectu, aut sine iusta causa alia id fecisse deprehenderetur, in eos animaduertere Episcopus constituit, & Clero per Promotorem mandauit, ne aliquis ante finitam Synodum nisi speciali suæ Reuerendissimæ Celsitudinis licentia, Wratislaviâ discedat. Et

Et cum fides sit fundamentum salutis æternæ, Reuerendissimus D. Episcopus S. S. Oecumenici Concilij Tridentini pium institutum, tum etiam Prouincialis Petricouiensis, & à prædecessore suo Episcopo Martino piæ mem: celebratæ Synodi Diocesanae consuetudinem, obseruare volens, flexis genibus, tactis S. S. DEI Euangelij Professionem fidei prius solus, & consequenter totus Clerus simul, prælegente Synodi lectore, eandem professionem, iuxta Pij iij. fel: re: præscriptum, fecit. Exhibebant deindè, requirente hoc Reuerendissimo D. Episcopo, DD. Archidiaconi suas visitationes: D. Iulius Landus Archidiaconus Wratislauiensis, propter morbum, quo domi detinebatur, per D. Doctorem Georgium Scultetum Canonicum Wratislauensem visitationem

nem suam obtulit: subsecutus est D. Adam Landeck Legnicensis, hinc Casparus Sella Glogouiensis, & Ioannes Kuna Oppolienensis Archidiaconi, suas quisque Reuerendissimo Domino Episcopo obtulit visitationes. Iis Reuerendissimus Dominus Episcopus ob hanc diligentiam gratias egit, hortatusque est eosdem, vt parem in posterum pro ipsorum munere adhibere non prætermittant. Exhibitæ quoque fuerunt variæ Parochorum querelæ, quæ cum in magnum excrescerent numerum, Reuerendissimus Dominus Episcopus, tribus ex DD. Canonicis Cathedralis Ecclesiæ Wratislauiensis, D. Nicolao Tinczmanno, D. Bonauenturæ Han, & D. Conrado Waibelio id dedit negotij, vt supplices libellos, & querelas reuiderent, & suæ Reuerendissimæ Celsitudini referrent

rent, quo Cleri querelae tempestiuè, & cum fructu succurreretur.

Conscripserat Reuerendissimus D. Episcopus ante Synodi congregationē cōstitutiones, vel articulos quosdam, qui ad institutum Ecclesiasticum, & ad conseruandam & augendam Catholicam religionem necessarij erant visi. Ex ijs quæ fidem & Religionem Catholicam concernerent legi curauit: post, omnium consilia audire cupiens, primo Prælatorum & Canoniorum Ecclesiæ Cathedralis, quid de his videretur, sententiam rogauit: qui omnes constitutiones vtiliter promulgari posse vnanimi consensu iudicabant. DD. Abbates verò semel, atque iterum seorsim deliberandi, & consultandi quoddam spatium sibi petebant concedi. Quam rem nouam, nec ante prioribus in Synodis vsitatam, cum

Reue-

Reuerendissimus D. Episcopus arbitraretur; eosque moneret, vt quilibet in libero dicendi, & consultandi loco, liberè suam sententiam proferret: Tunc DD. Abbates Reuerendissimi Domini Episcopi se submittentis voluntati, per D. Abbatem Vincentinum, virum doctrina, & rerum vsu amplissimum, egerunt gratias Episcopo, pro paterna ista cura, quam in conscribendis & proponendis illis articulis, & constitutionibus de Religione, Sua Celsitudo habuisset; videre ipsos in lectis articulis, præter reliqua Reuerendissimum Dominum Episcopum ex præscripto Concilij Tridentini vrgerè, vt DD. Abbates iuxta eiusdem Concilij decreta, Magistrum in suis quisque monasterijs alerent, qui nouiter receptos ordinis fratres, pietatis & bonarum artium fundamenta fideliter doceret.

D ceret.

ceret. Id DD. Abbatibus hucusq;
summæ curæ fuisse, quemadmodum qui
Wratislaviæ sua haberent monasteria,
nunquam vtile hoc institutum præter-
misissent. Et licet etiamnum domi Præ-
ceptoribus non destituerentur, se ta-
men vberioris disciplinæ gratia, ali-
quos in Seminarium Episcopale Nis-
sam mittere velle. Omnia itaq; decreta
maturo cōsilio à Reuerendissimo Dñ:
Episcopo cōscripta, & iam lecta ipsos
Dominos Abbates approbare, vnicū
solummodo caput, quo ius instituendi
seu inuestiendi Parochos, Reuerendis-
simo Domino Episcopo reservaretur,
in ipsorum Abbatum præiudicium po-
situm videri; eos hucusq; à longo tem-
pore viros pios, & dōctos, Parochijs
præfecisse, sine aliqua Domini Episco-
pi institutione, & quandoquidem in
tanto Clericorum defectu seculares Sa-
cerdotes

sacerdotes habere non potuerint, se fra-
tribus interdum monasteriorum Pa-
rochias regendas commisisse, tamq;
possessionem ipsos ex longa consuetu-
dine obtinuisse, rogare itaq; DD. Ab-
bates, vt Reuerendissimus D. Episco-
pus ius illud instituendi Parochos, si-
cut hucusq; ab ipsis observatum esset,
integrum Abbatibus relinquere velit.
Deinde quando visitationes Parocho-
rum in monasteriorum fundis per Do-
minos Archidiaconos in posterum in-
stituerentur, vt Dominis Abbatibus
visitationibus huiusmodi interesse lice-
ret. Ad ea Reuerendissimus D. Epi-
scopus respondit, se nihil noui consti-
tuere, sed ex Concilij Tridentini de-
cretis (sicut ex eodem Concilio sess: 14.
cap. 10. & sess: 25. cap. 9. de reforma-
tione fuerunt lecta) nihil aliud optare,
quam vt sit Hierarchia bene ordinata,
D 2 nihil

nihil quicquam in præiudicium DD.
Abbatum fieri neque eos iuris alicuius
facere hac in parte iacturam, quinimo
liberum permanere DD. Abbatibus
præsentationis ius, si quod haberent:
non iniquum vicissim esse, ut Episco-
po Loci ordinaria auctoritas salva con-
seruetur eique inuestiendi ius integrum
permaneant & relinquatur. (Videndæ
sunt hac de re sacræ congregationis
notæ infra titulo de Parochis) Ponti-
fices enim maximos suas Bullas colla-
tionum & prouisionum, Sacratissimos
Cæsares, Serenissimos Poloniae Re-
ges (ut de alijs nihil dicatur) præsen-
tationes Episcopo mittere ac misisse:
multo magis ergo Abbates id decere,
ut Episcopo Inuestiendos præsentent,
ne ordo Hierarchicus quouis modo
turbetur. Et quamuis DD. Abbates
affirmarent non semper expedire, ut
præsen-

præsentationes essent perpetuæ, propter
Religiosos fratres, quibus interdum
Parochiæ cōferuntur & ad monasteria
reuocantur, ut existiment maius etiam
commodum monasterijs hac ratione ac-
cedere atque ideo denuo ipsos rogare,
sui ut ratio habeatur, & privilegia con-
firmentur ipsorum, quibus à tam lon-
go tempore integrum fuisset ius inue-
stiendi. Tamen Reuerendissimus Do-
minus Episcopus à S.S. Concilio Tri-
dentini Decretis recedere, se nec vel-
le, nec posse respondit. Quandoqui-
dem præterea in constitutionibus præ-
lectis, secularibus Clericis liberam
testandi facultatem concessam esse in-
tellexerant DD. Abbates, si religiosi
in Parochijs è viuis excederent, ad
quem relicta pertinerent interroga-
bant; Reuerendissimus Dominus E-
piscopus ad hæc: Monasterio inquit
D. 3, fratrum

fratrum res de relictas accrescere, cum
testamenti ob paupertatis votum non
habeant factionem: Si vero seculares
Clerici in Parochijs non condito te-
stamento decederent; statuta provin-
cialia & Synodalia iuxta praxim quo-
tidianam observanda esse, vt scilicet
post sumptus funebres debita exsol-
uantur: deinde consanguineis aliqua
hæreditatis pars; fabricæ item & Ec-
clesiæ in quo intestatus obiit, vel Pa-
rochiæ portio quædam relinquatur.
Post acclamationem **PLACET**, Re-
uerendissimus Dominus Episcopus
proponebat, magnam esse penuriam
Catholicorum seruatorum, quorum o-
pera Domini Abbates, & Abbatissæ in
Præfecturis, & alijs officijs vterentur.
Cogitasse itaq; se, non conuenientius
huic malo remedium reperiri, nisi vt
certus Nobilium puerorum numerus,
scilicet

scilicet viginti quatuor, honestè ale-
rentur, qui in fide, moribus, & discipli-
nis, Catholicè instructi, suo tempore
tum alijs, tum eiusmodi officijs præfice-
rentur: in quem finem ædes Nissæ iam
emisset, saltem à Clero consilium se re-
quirere, vtrum magis conferat sum-
ptus facere in nobiles, vel plebeios:
Venerabili Capitulo Cathedralis Ec-
clesiæ placuit Reuerendissimi Domi-
ni institutum, vt nobiles præcipue si
haberi possint in eum finem alantur:
cum in Episcopale Seminarium non
nisi iuuenes, qui in Ecclesiastico statu
DEO & Ecclesijs suo tempore inser-
uiant recipiantur.

Domini Abbates hoc vnum se do-
lere dicebant, quod non habere pos-
sent Catholicos: esse in Aulis Princi-
pum magis gratos homines nobiles,
quam plebeios. Rogabant itaq; Do-
minum

minum Episcopum, vt nobiles conue-
nientis ætatis reciperet, ipsos suam o-
peram offerre. Abbatem enim Sancti
Vincentij in eum finem quatuor huc-
usq; aluisse, vt ipsorum opera aliquan-
do vteretur. Reuerendissimus Domi-
nus Episcopus respondit: non mino-
res XVIII. annis recipi in Seminari-
um clericorum: in receptione nobili-
um se obseruaturum, vt XIII. sint an-
norum, qui si aliquot annis pietati, ac
studijs operam dent, futurum, vt vel
circa XX. ætatis annum commodè ser-
uitijs Principum, & Abbatum adhibe-
ri queant. Porro Clericorum Semina-
rij Episcopalis sumptum annum Re-
uerendissimus Dominus Episcopus
tribus millibus florenorum æstimabat,
imò eundem etiam superari numerum,
& quatuor millia non raro excedere,
expositorum consignationes, & Rege-
sta

sta testari. Quandoquidem verò diffi-
cile sibi esset, in vtroq; Seminario, Cle-
ricorum scilicet, & nobilium seculari-
um, facta tecta omnia conseruare, tot
scholares clericos, & laicos cum ipso-
rum Doctoribus, Magistris, Præce-
ptoribus, & seruatoribus alere: petere
se vigore constitutionis Concilij Tri-
dentini sess: XXIII. Cap: XVIII. de
reformatione, vt Prælati, & Canonici
præcipuè, ac totus Clerus, ad Semina-
rium Clericorum contribuere velint,
Cathedralis Ecclesiæ Wratislaviensis
Capitulum, Prælatorum & Canonico-
rum decumbentium absentiam in pri-
mis allegabat: rogans vt Reuerendis-
simus tantum concederet spatij, donec
cum alijs Confratribus, hac de re con-
siliū capere possit: tamen cum Reue-
rendissimus responsum à venerabili
Capitulo vrgeret, Capitulum asseue-
rabat.

rabat. Reuerendissimi Domini Epi-
scopi prouentus, Capitulares redditus
longè superare, decimis ubiq; colla-
psis, & infertones Episcopales com-
mutatis, rogare se, quandoquidem Ve-
nerabili Capitulo prouentus tertiæ
partis Episcopatus competant, vt Re-
uerendissimus retentis duabus parti-
bus, tertiam Ven: Capitulo iuxta
Conci: Tridentini assignet: inde ad
Seminarij conseruationem partem ad-
ijci posse. Reuerendissimus Episco-
pus Venerabilis Capituli responsum
non satis æquo animo ferre visus est,
existimauitque merito se aliud respon-
sum expectare debuisse. Nam quod de
tertia parte prouentuum Episcopa-
tus, seu mensæ Episcopalis Capitulo
assignanda dictum sit, illud sine vlllo
fundamento prolatum esse. Capitu-
lum enim proprias habere villas, syl-
uas,

uas, & alia bona diuisa, & distincta à
bonis, quæ ad mensam Episcopalem
pertinerent: de prouentibus, & bonis
mensæ Episcopalis ne teruncium qui-
dem competere Capitulo, neq; Conci-
lium Tridentinū quicquam de hac re
cōstituisse. Quod vero de collapsis deci-
mis dictum sit, illud quidem non nega-
ri, sed Episcopi quoq; decimas, quæ
amplissimæ fuerint, ad eundem modum
sicuti Capituli collapsas esse. Recor-
dari se inter alia statuta Ecclesiæ Ca-
thedralis vnum extare, quo Episcopus
ad certa quædam onera sit obligatus,
ad simplum Capituli, contribuere du-
plum: æquum igitur, vt ad Seminarium
etiā ad duplum Episcopi, Capitu-
lum contribuat simplum. Quod si illis
graue hoc videretur, ac existimarēt æ-
quam non seruari proportionem petijt
Reuerendissimus vt quilibet Præla-
tus,

tus, & Canonicus Cathedralis Eccle-
siæ de suis prouentibus contribuat de-
cimam, vigesimam vel trigessimam, vel
quinguesimam partem, se ad eundem
modum paratum esse, de prouentibus
mensæ Episcopalis decimam, vigesi-
mam &c. contribuere, & hunc modum
esse longè iustissimum, vt quo plures
quis habeat redditus, eo plus etiam
conferat. Venerabile Capitulum tem-
pus deliberandi in alterum diem pe-
tijt, & impetrauit. DD. Abbatibus
placuit institutum Reuerendissimi o-
peramq; suam non denegarunt speran-
tes, si quid contribuerint, Reuerendis-
simum Dominum Episcopum conten-
tum fore, vt in Clericorum Seminario
Nissen: suos alumnos alant, quorum
opera vti possint. Capitulum Glogo-
uiæ maioris de collapsa religione, &
censuum imminutione conquestum est,
atque

atque hinc fieri, vt vnde commodè vi-
uant, vix suppetat: Scholæ Rectores,
& Professores, stipendio commodò de-
stitui, Ecclesiam etiam ipsam mutam
quodammodo manere: excusari itaq;
se se petierunt in ijs, quæ de contribu-
tione proposita essent. Capitulum Nis-
sense, & Oppoliense certum responsum
ad vltiorem cum fratribus absenti-
bus consultationem reiecit: Capitu-
lum Rathiboriense, & Glogouiæ Su-
prioris summam allegârunt pauper-
tatem, quam excusationem vt certam
Reuerendissimus Dominus Episco-
pus non grauatim admisit. Præpositus
Rosenbergensis se ex Prælati sui Do-
mini Abbatis in arena voluntate de-
pendere ait. Vidit Reuerendissimus
Dominus Episcopus pro Seminario
Clericorū inanem cōtributionis spem
esse; nihilominus se à pio proposito
E 3 suo

suo, in alendis Clericis, & pueris nobilibus, desistere nolle asseueravit. Et quia maior diei pars rerum tractatione consumpta esset; dimisit Clerum Reuerendissimus Dominus Episcopus: Abbates verò apud se in prandio retinuit. Commisit autem Reuerendissimus, DD. Archidiaconis, ut suis Archipresbyteris demandarent, quo absentes Sacerdotes, qui Synodo huic non interfuissent, suo tempore conuocarent, atque ab ijs professionem fidei exigerent. Synodi etiam promotor, innuente Reuerendissimo Domino Episcopo iussit, ut sequenti die, hora septima ad sonum campanæ maioris, totus Clerus ad sacrum Missæ officium, & tandem in Curiam ad Synodum vicissim reuerterentur.

Secunda die Synodi, mane vicissim campanæ impulsu signum dabatur; sub

sub tertium pulsum eodem ordine, quo præcedente die, eodemque Prælatorum, Canonorum, & Abbatum totiusque Cleri Comitatu, in Cathedralem Ecclesiam ingressus Episcopus, sacrum missæ officium de Beata Maria Virgine, quod à Reuerendissimo D. Adamo Episcopo Nicopolienſe, & suffraganeo Wratislauienſe celebrabatur, deuotè audiuit, ac in Curiam reuersus, ut ceptam Synodi tractationem continuaret, per Promotorem diuersa Capita de cultu diuino ritè peragendo, ut de illis deliberaretur proponi iussit: & cum ad caput de cantilenis in Ecclesia ante concionem decantandis, peruentum esset, placuit Synodo, idque deuotioni plebis plurimum conferre quidem censuit, ut omnibus vniuersim Ecclesijs cantiones eiusmodi concederentur, euitandæ autem confusionis,

fionis, & disparitatis causa, oportu-
m esse ad vnam certitudinem redigi can-
tilenas, in quibus, vt certitudini, &
conformitati deuotio coniungeretur,
Reuerendissimus Dominus Episco-
pus, curam eandem, Dominis, Doctori
Andrea Bogursky, præterea Con-
cionatori, & Pœnitentiario maioris
Ecclesiæ commisit, qui vtroque &
Germanico, & Polonico idiomate
cantiones probatas, & pietati infer-
uientes colligerent, & Episcopo affer-
rent, illi tum curæ fore, vt in vsum mul-
torum Typis Nissensibus excusæ in
publicum prodirent. Baptizandi ri-
tum quod attineret, DD. Abbates
grauibus, & vrgentibus de causis, ac
rationibus consultum existimabant, in
Sacramento Baptismi, Ioannis leusen-
trij Episcopatus Misnensis Admini-
stratoris, viri in Catholica religione
iuuanda

iuuanda probatissimi. Germanica ba-
ptizandi forma, magis quam Latina
hactenus consueta vtendū esse. Quam
difficultatem D: Reuerendissimus ex-
emit, cum diceret, formam baptizan-
di potius secundum Agendam Metro-
politanae Ecclesiæ Gnesnensis vbiq;
seruandam, quam noui aliquid statuen-
dum esse: non displicere tamen; quin-
imo hortari ac monere, vt paulatim, &
adhibita in consilium prudentia, à Pa-
rochis Germanico, aut etiam vbi eius
linguæ vsus sit Polonico sermone, po-
pulo ceremoniæ oportunis verbis ex-
plicentur: Ità enim futurum, vt modus
germanicè baptizandi, in his locis vbi
partim à parochianis desideraretur,
partim in quibusdam locis nunc in vfu
esset pedetentim dilgentia Parocho-
rum tolli posset.

De Breuiario Wratislaviensi cuius
F exempla

exempla desiderarunt, Reuerendissimo Domino Episcopo, approbante Synodo placuit, vsum Romani Breuiarii esse introducendum, non vt Wratislauense tollatur, sed vt propter defectum Wratislauensis Breuiarii, recens ordinandi ad recitationem Breuiarii Romani assuefiant.

Placuerunt etiam Synodo articuli de cultu diuino omnes: Ad reformationem Clericorum condescendum erat, eius à capite initium sumendum iudicabat æquum Reuerendissimus Dominus Episcopus, ac hortabatur vt liberè, & confidenter omnes, & singuli publicè indicarent: si quid in sua Reuerendissima celsitudine emendatione dignum animaduertetur.

Cum autem tota Synodus vno ore profiteretur, omnia, quæ hæcenus gesta essent, Episcopali officio, ac muneri conuenientissima, & cum pietate coniuncta

iuncta fuisse: preces adiciebant, vt quemadmodum sanctè cepisset, progredieretur, mercedemq; à Deo optimo Maximo expectaret. Capita deinde de moribus Clericorum approbârunt, præcipuè verò ea constitutio, ne Clerici pro alijs in causis pecuniarijs fide iuberent, DD. Abbatibus plurimum placuit, se vnicum hoc optare, vt à fide iussionibus liberentur.

Cum autem ex Abbatibus quidam, subsequenti die certis de causis ab itum pararent, rogabant Reuerendissimum Dominum Episcopum, vt quibus in rebus à secularibus grauarentur, benignè audire, consilium impartiri, & auxiliatrices porrigere manus dignaretur. Æquissimo desiderio Abbatum benignè annuit Reuerendissimus, & ad omnia & singula partim è vestigio in Synodo publicè, partim etiam al-

tera die priuatim sufficienter respon-
dit: ac in omnem euentum nec consi-
lio nec auxilio DD. Abbatibus quo-
uis tempore, & occasione sese defutu-
rum, humanissimè est pollicitus, mo-
nuitque paternè, vt sequenti die omnes
mane campanæ signo dato, ad rem di-
uinam faciendam redirent, & residuis
Synodi negotijs incumberent. Cæ-
terum in sumpta iam maiori parte diei,
humaniter Clerum, vt cibo, & potu re-
ficeretur, Episcopus inuitauit.

Pulsu campanæ tertio, die etiam Sy-
nodi tertia, præcedente; in præsentia
Reuerendissimi D. Episcopi, & Cle-
ri totius; Dominus Abbas Vincenti-
nus officium de S. Ioanne Baptista Pa-
trono Ecclesiæ Wratislauien: celebra-
uit. Post hæc in Curia Episcopali de
temporalibus quædam proposita, eaq;
post diligens examen approbata fue-
runt.

Tum

Tum Ecclesiæ Cathedralis Capi-
tulum, Seminarij faciens mentionem;
si idem Clericorum augeretur nume-
ro, consultum arbitrabatur, atq; ob id
cum Conciliū Tridentinū sess: XXIII
Cap. XVIII. de reformatione, certum
præscribat, ad Seminarij sumptus con-
tributionis modum, rogabat, vt Reue-
rendissimus ex Prælatis, vel Canoni-
cis Ecclesiæ Cathedralis vnum, alium
etiam Capitulum nominaret, qui post-
modum ea de re consultarent, suæque
Reuerendissimæ Celsitudini quid fie-
ri expediat, referrent. Quod Venera-
bilis Capituli responsum Reueren-
dissimo D. Episcopo non displicuit,
adiecitque, Dominos Archidiaconos
nudius tertius visitationes suas obtu-
lisse; quæ propter occupationes, sicuti
oportebat, accuratè reuideri nondum
potuerint, sed adhibiturum se viros

F 3

doctos,

doctos, qui diligentius hæc expendant, & in medium consulant, quæ ratione petitionibus Clericorum satisfiat.

Et cum Reuerendissimus D. Episcopus, tum à Prælati, tum ab alijs Clericis aliquoties intellexisset, quædam in concilio contineri Tridentino, quæ non modo difficilia, sed quasi impossibilia in hac prouincia observata essent: Episcopus vtrum ea scriptis consignata in promptu haberent, interrogabat; quæ aliqua moderatione indigerent, & quorū præcedente etiā Synodo mentio facta esset; ea enim de re ad S.S. Sedem Apostolicam tempestiuè, vt referretur se non prætermisurum. Cathedralis Ecclesiæ Capitulum aliquot capita in scriptis Reuerendissimo obtulit, rogauitq; vt dispensationem si ita S. Reuerendissimæ Celsitudini


fitudini visum esset, apud S.S. Sedem Apostolicam vrgeret, DD. Abbates & Collegiatarum Ecclesiarum Capitula, difficultates quasdam ex Conc: Tridentini decretis allegabant, eas vt similiter in scriptis exhiberent, Episcopus commodissimum iudicauit. Ad extremum vbi grauamina Clerus exhibuisset, Reuerendissimus D. Episcopus sese vna cum aliquot Prælati, & Canonicis ex Ven: Capitulo legere, admodum expendere, & necessitatibus eorum consulere velle, clementer promisit.

Quibus ita peractis, cum Reuerendissimo Domino Episcopo interrogante, vtrum decreta his diebus lecta, approbarent, ita vt emendata imprimi possint, reliqui annuissent: Domini Abbates conditionem adiciebant; sibi decreta placere, in omnibus in quibus non

non sint contra iura immunitates, & privilegia monasteriorum, de quo solenniter protestabantur. Reuerendissimus D. Episcopus, Protestationem eatenus admisit, quatenus non præiudicaret iuri, & libertati Reuerendissimi tanquam loci ordini: item Sacrorum Canonum & Concilij Tridentini Decretis, de quose in contrarium solenniter protestationem interponere aiebat.

Et hūc Reuerendissimus Dominus Episcopus omnibus benignissimis verbis gratias egit, quod ad citationem, & requisitionem ipsius Synodi Diocesanae negotijs, quæ ex sacris canonibus, prouincialibus, & Synodali-
bus constitutionibus & Conc: Tridentino sua habuerint fundamenta interfuerint. Nihil amplius nunc superesse, quam vt ea, quæ piè, & sanctè à
Diœce-

Diœcesana Synodo vnanimiter constituta sint, firmiter, & inuiolabiliter ab omnibus obseruentur. Deusq; pro augmento religionis, & fidei Catholice sedulo imploretur, dataq; benedictione, omnibus licentiam abscondi concessit, præterquam ijs, quibus ad querelas, vel consilium impertendum, vel auxilium afferendum erat.



G

Nomina

NOMINA PRÆCIPUORUM,
QUI AD SYNODUM HANC
Diecefanam Wratislaviæ
conuerunt.

REVERENDISSIMVS
& Illustrissimus in Christo Pater, ac
Dominus, D. Andreas Dei gratia
Episcopus Wratislaviensis, Coronæ
Bohemie Princeps Ligius, Sac. Cæs.
Maiestatis Consiliarius, atq; Supre-
mus Superioris, & Inferioris Sa-
lesie Capitaneus, Præsidens i
Synodo.

Reuerendissimus D. Adamus Episco-
pus Nicopoliensis, & suffraganeus
Wratislaviensis.

EX CAPITULO CATHE-
dralis Ecclesie Wratislaviensis.

Ioannes

Reuerendi Domini.
Ioannes Sitsch Præpositus.
Adam Landeck Decanus.
Paulus Albertus S. T. Doctor
Scholasticus:
Christophorus Gerstman Custos.
Andreas Bogursky I. V. Doctor.
Vincentius Salnius.
Balthasar Habicht, Artium libe-
ralium Magister.
Bonaventura Han I. V. Doctor.
Georgius Scultetus S. T. Doctor
Conradus Waibelius S. T. Do-
ctor, Vicarius in spiritualibus,
& officialis generalis.
Gasparus Hiltprandus Artium li-
beralium Magister.
Georgius Andreades Sacre Theo-
logie Doctor Can:

EX DOMINIS ABBATIBUS.

G 2

Hiero

Hieronymus Lubensis.
 Ioannes S. Vincentij Wratislaviae.
 Iacobus Saganensis.
 Nicolaus Heinrichouien:
 Antonius Camenicens:
 Casparus Griflouiensis.
 Gregorius Stoianus Iemelnicens:
 sis.
 Laurentius Girlicius ablegatus
 Michaelis Waltheri Abbatis Raudensis.
 Prior in Pratis ad Glogouiam superiorem ordinis Sancti Pauli primi Eremitae.

COLLEGIATARVM
 Ecclesiarum Ablegati.

Glogouiae maioris.
 Georgius Scultetus Praepositus.
 Martinus Lemhusius Decanus.
 Gasparus Sella Archidiaconus.

Sanctae

SANCTAE CRVCIS

Wratislaviae.

Adamus Kessel Artium liberalium Magister.

NISSENSIS.

Sebastianus Hartman Sacrae Theologiae Doctor Praepositus.

Nicolaus Tinczman Medicinae Doctor.

OPPOLIENSIS.

Iacobus Zuretius Decanus.

Ioannes Kuna Archidiaconus.

Ioannes Zvrick Custos.

RATHIBORIENSIS.

Petrus Sebisch Decanus.

Georgius Stephetius Custos.

GLOGOVIAE MINORIS.

Albertus Petricz Decanus.

Magistri Hospitalis S. Matthiae ablegatus F. Ioannes Prussius.

Cathedralis Ecclesiæ Wratislaviensis
Concinator, & eiusdem Ecclesiæ
Pœnitentiarius.

FALCKENBERGENSIS.

Andreas Rosnecky Præpositus.

PRÆPOSITI. MO-
nasteriorum.

Fra: Wenceslaus Præpositus Rosen-
bergensis.

Fr: Ioannes Fuchs, Præpositus Zot-
tenfis.

Fr: Franciscus Welle, Præpositus in
Seitsch.

Fr: Georgius Faber Præpositus in
nouo Castro.

PRIORES ET FRATRES.

Fra: Martinus Opicz Prior ex Con-
uentu S. Vincen: Wratislaviæ.

Fr: Albertus Concionator Rosenber-
gensis.

Fr: Mathias Bittner Senior Conuen-
tus Saganensis.

Fr: Bal-

Fr: Balthasar Rothentorn, Prior ad
diuam Virginem in arena Wratisla-
uiæ.

Fr: Paulus Sorauiensis Prior conuen-
tus Sancti Adalberti Wratislaviæ
ordinis Prædicatorum.

Fr: Dominicus Wansouita, Prior Con-
uentus Suidnicensis S. Crucis or-
dinis Prædicatorum.

Fr: Blasius Gedaneñ: Prior ordinis
Prædicatorum ad SS. Petrum &
Paulum Glogouiæ maioris.

PRÆCENTORES.

Zacharias Felckel Sanctæ Crucis Su-
perioris Wratislavię.

Albertus Molitorius Sanctę Crucis
in Crypta Wratislaviæ.

ARCHIPRESBYTERI,
seu Decani Rurales.

EX WRATISLAVIENSI
Archidiaconatu.

Melchior

Melchior Ientsch Parochus ad S. Mauritium.

Gasparus Schoresius Parochus Grottkouienfis.

M. Christophorus Lachnit Parochus Cantenfis.

Jacobus Arlenus Parochus in Czirkovvicz.

Albertus Tricesius Richtalenfis.

Stanislaus Podolsky Ostroffouienfis.

EX ARCHIDIACONATV
Glogouia maioris.

Matthias Heinicius loco Parochi in Hoënkirch.

Georgius Weigel Parochus in Preichavy.

EX ARCHIDIACONATV
Legnicenfis.

M. Laurentius Ionifcher, Virginum
in Lubenthal Pœnitentiarius.

Matthias

Matthias Renner Parochus in Olbersdorff.

EX ARCHIDIACONA-
tu Oppolienfi.

Ex fede Rosenbergenfi, Vitus Badest, Parochus in Dobrodzin.

Ex fede Strelecenfi Clemens à Stock Parochus in Groffovvicz.

Ex fede Thoftenfi; Ioannes Przifovvsky Parochus in Thoft.

Ex fede Gleyvvicenfis Ioannes Seruacius Parochus ibidem.

Matthias Mazureck Parochus in Petri villa Senior.

Ex fede Zarenfi, & Wladislauienfi,
Ioannes à Plofta Parochus in Iadlovvnick.

Ex fede Rathiborienfi, Georgius Richtineck Parochus in Lylcky.

Valentinus Sartoris Senior.

H

Ex

Ex sede Vgesdensi Petrus Ceruus
Parochus Lesnicensis.

Ex sede Coslensi Casparus Lessius
Parochus ibidem.

Stanislaus Wartman Parochus in
Kostenthaal Senior.

Ex sede Glogouiae minoris Sebastia-
nus Rudolphi Parochus Schön-
nouiensis.

Ex sede Cilicensi, loco Iacobi Rudol-
phi, Vincentius Matthæi Cano-
nicus Rathiboriensis.

Adamus Charinus Parochus Cili-
censis Senior.

Ex sede Falckenbergensi, Petrus
Zmarcky Vicarius Falckenber-
gensis.

*Præter superscriptos Prælatos, & Sacerdotes in
dignitatibus, & officijs constitutos, ex religiosis
fratribus, Ecclesiarum Vicarijs, Altaristis, &
Parochis villarum, magnus adsuit nume-
rus, quorum nomina recensere su-
peruacaneum videretur.*

CONSTITUTIONES SYNODI DIOECESANAE.

DE FIDE, ET RELIGIONE CATHOLICA.

DE PROFESSIONE FIDEI Caput I.



Vi sacras ædes, theatra, pri-
uatae domos, magnifici
alicuius operis erigere, &
structurarum, suiq; nominis
perpetuitati, ac memoriae inservire vo-
lunt: in fundamentum primo cogita-
tiones, & labores conuertunt, idq; vt
omni studio firment, & stabiliant; cir-
culos, aliasq; ex Geometrica discipli-
na convenientes figuras mutuati, ad
earum normam, & artificis certam de-
lineationem, solum aut ante firmum
occupare, aut fragile, saxi aliaue ma-
teria accommodata firmare consueue-
runt:

runt: Frustra enim duraturæ molis, &
ædificiorum constantiam sibi pollice-
rentur; nisi fundamenti immobilis cer-
titude, omnes reliquas structuræ par-
tes, ad operis vsque absolutionem, hu-
meris velut in sese reciperet, & sufful-
ciret. Cum igitur omnes, qui Christi
Ecclesiæ inferti, eius professioni no-
men suum verè dederunt, magnam ani-
mo moliantur felicitatis perpetuæ stru-
cturam, quæ in omnem æternitatem
duratura sit; à Fundamento, quod est
FIDES CHRISTIANA, &
CATHOLICA, sine qua impos-
sibile est placere **DEO**, ad imitatio-
nem sanctorum patrum in hac Syno-
do nostra exordium sumendum erit, vt
hoc idoneo, & in fallibili fundamento
posito, reliqua omnia facilius super-
strui, & sine vllò ruinæ metu, firmitus,
certiusque stabiliri possint. Et si au-
tem

tem in ea Synodo, quæ Anno M. D.
LXXX. ab Illustrissimo Principe,
ac Reuerendissimo Domino Martino
Episcopo Wratislaviense, proximo
Antecessore nostro piæ, & felicitis me-
moriæ celebrata est, omnes, qui inter-
fuerunt Synodo, fidei Catholicæ pro-
fessionem, secundum Bullam, siue præ-
scriptum Pij Quarti Pontificis maxi-
mi, solenniter præstiterunt: Quia ta-
men ab eo tempore non pauci Prælati
Canonici, & alij beneficiati in Domi-
ni Sortem vocati accesserunt, eos fidei,
professionem facere, & quæ corde cre-
dunt, tum alijs grauibus de causis, tum
vt omnes intelligant, perpetuam esse
debere in Ecclesia **DEI** concordiam,
vnanimitatem, & consensum, nobis
præeuntibus, ore idem profiteri, & ali-
os etiam repetere, in hac Synodo, sicut
paulo ante dictum est, æquum censui-
mus.

mus. Quoniam autem non sufficit, vt
Ecclesiastici quorum exiguus nume-
rus est, soli credant, aut soli officij, ac
muneris sui admoneantur; sed ad DEI
Optimi Maximi gloriam, ad Catholi-
cæ religionis propagationem, & ad
Christianæ Reipublicæ vtilitatem
pertinet; vt in hac fide Catholica
omnes, qui Christi Ecclesiæ inserti sunt,
illi que nomen dederunt, instruantur;
sequentes articulos, seu constitutiones
in Synodo conscriptas, Saluis tamen
prioribus Decretis, tam Diocesana-
ræ quam prouincialium Synodorum
ac reliquis SS. Ecclesiæ Catholicæ,
in primis verò Oecumenici & SS.
Concilij Tridentini præceptis, San-
ctionibus, & ordinationibus, vbi à SS.
sede Apostolica iustissimæ censuræ
trutina examinatæ & approbatæ fue-
rint, inprimi, & publicari curabimus,
vt


vt ad omnium æquæ noticiam perdu-
cantur. Omnes igitur Christianos &
præcipuè Ordinis Ecclesiastici viros,
sicuti Catholicam Religionem profe-
teri, & pro illa etiam laudabili sancto-
rum martyrum exemplo, vitam, &
sanguinem profundere paratos esse
debet, ita Saluatoris nostri præceptis,
qui pollicitus est, coràm patre suo eos
se se agniturum, qui in hoc mūdo ipsum
confessi essent, & Sacro Sancto Con-
cilio Tridentino Sess. XXIII. Cap.
XII. De reformatione, adducti sta-
tuimus, vt in posterum nemo ad quam-
cunque Prælaturam, Canonicatum,
tam in Cathedrali, quam Collegiatis
Ecclesijs ad Parochiam Mansiona-
riam, vel Vicariam, vel ad munus con-
cionandi priusquàm solennem fidei
professionem fecerit, vllō modo admit-
tatur. Et quoniam experientia con-
stat,

stat, tenella puerorum ingenia quicquid in puerili ætate inbibunt, tenacissimè retinere, & ad præceptorum nutum atque exemplum sese conformare, statuimus, vt Scholarum Rectores, Magistri, Baccalaurei, & alij, qui pueros literis germanicè legendis, & scribendis, atq; in Arithmeticis rationibus instituunt, ab Archidiaconis, & Visitatoribus compellantur, quo hanc fidei professionem faciant, vt securius & tutius pueri illorum institutioni concedi possint. In posterum etiam ad huiusmodi officia exercenda in Ciuitatibus non admittantur nisi fidei professionem faciant, atq; etiam si Ordinario visum fuerit, stipulata manu promittant, se nec libros lasciuos aut suspectos illis prælecturos, aut quicquam contra Catholicam fidem vnamquamdocturos. Idem obseruari volumus

mus de fidei professione in ijs qui religionem aliquam ingredi volunt; Idq; vt ante annum probationis fiat, cum indignum censeamus, vt qui ad perfectiorem statum aspirant, de fide & religione veluti dubios suos superiores relinquant. Et hæc quidem fidei professio coram nobis vel nostro in spiritualibus Vicario generali, flexis genibus, & debito cum reuerentiæ honore præstanda erit.

DE FORMA PROFESSIONIS FIDEL.

Caput II.



Forma autem huius professionis nulla alia sit, quam quæ Bulla, siue rescripto Pij Quarti Pontificis Maximi, hisce, quæ sequuntur verbis, est comprehensa.

I

Ego

Ego N. firma fide credo, & profiteor, omnia & singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur videlicet: Credo in vnum DEVM, patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilibus omnium, & invisibilium, & in vnum dominum IESVM CHRISTVM, filium Dei vnigenitum, & ex patre natum ante omnia secula: DEVM de DEO, Lumen de lumine, DEVM VERVM de DEO vero: genitum non factum: consubstantialem patri, per quem omnia facta sunt, qui propter nos homines, & propter nostram salutem, descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria virgine, & homo factus est: crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est,

resurrexit tertia die secundum scripturas, & ascendit in cœlum, sedet ad dexteram patris, & iterum venturus est cum gloria iudicare vivos, & mortuos, cuius regni non erit finis; & in spiritum sanctum dominum & viuificantem, qui ex patre filioque procedit, qui cum patre & filio simul adoratur, & cōglorificatur: qui locutus est per Prophetas, & vnā sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum, & expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi seculi, Amen. Apostolicas & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiæ obseruationes, & constitutiones firmissimè admitto, & amplector. Item sacram scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit, & tenet
1 2 sancta

sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione sacrarum scripturarum admitto, nec eam unquam nisi iuxta unanimem consensum patrum accipiam, & interpreta-
bor. Profiteor quoque septem esse verè & propriè sacramenta nouæ legis à Iesu Christo, domino nostro, instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia, singulis necessaria; scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem, & Matrimonium: illaque gratiam conferre, & ex his, Baptismum, Confirmationem & Ordinem, sine sacrilegio reiterari non posse, receptos quoque & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum, solenni administratione, recipio & admitto, omnia & singula, quæ de peccato originali, & de
iustificatione

iustificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita & declarata fuerunt amplector, & recipio: Profiteor pariter in Missa offerri DEO, verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium, pro viuis, & defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse verè, realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem unà cum anima, & Diuinitate Domini nostri I E S U CHRISTI, fierique conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini, in sanguinem, quam conuersionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi, Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuuari: similiter, & sanctos una cum Christo
I 3 regnantes,

regnantes, venerandos, atque inuo-
candos esse, eosque orationes DEO
pro nobis offerre, atque eorum reliqui-
as esse venerandas. Firmissimè assero,
imagines Christi, ac DEI paræ semper
virginis, nec non aliorum Sanctorum
habendas, & retinendas esse, atque eis
debitum honorem ac venerationem
impertiendam. Indulgentiarum et-
iam potestatem à Christo in Ecclesia
relictam fuisse, illarumque usum Chri-
stiano populo maxime salutarem esse
affirmo. Sanctam Catholicam & Apo-
stolicam Romanam Ecclesiam omnium
Ecclesiarum matrem & magistram a-
gnosco, Romanoque Pontifici, beati
Petri Apostolorum Principis Succes-
sori, ac Ihesu Christi Vicario veram
obedientiam spondeo, ac iuro: Cætera
item omnia à sacris canonibus, &

Oecumene

Oecumenicis Concilijs, ac præcipuè
à Sacrosancta Tridentina Synodo
tradita, definita & declarata indubi-
tanter recipio atque profiteor, simul-
que contraria omnia, atque hæreses
quascunque ab Ecclesia damnatas, &
reiectas, & anathematizatas, ego pa-
riter damno, reiicio, & anathematizo.
Hanc veram Catholicam fidem, extra
quam nemo saluus esse potest, quam in
præsenti spontè profiteor, & veraciter
teneo, eandem integram & inuiola-
tam, usque ad extremum vitæ spiritum
constantissimè (DEO adiuuante) reti-
nere, & confiteri, atque à meis subditis,
vel illis quorum cura ad me in munere
meo spectabit teneri, doceri, & prædi-
cari, quantum in me erit curaturum.
Ego idem N. spondeo, voueo, ac iuro:
sic me Deus adiuuet, & hæc sancta
DEI Evangelia.

Nomina

Nomina eorum, qui fidei professionem quouis in loco fecerint, Tituli item beneficij, seu Parochiæ; siue Ecclesiæ, ad quam quisque promouendus, vel iam promotus sit, Episcopalis Cancellariæ regestis peculiaribus inserantur, nemoque sine Authentico professionis fidei testimonio, ad possessionem Prælaturæ, Canonatus, vel Parochiæ Mansionariæ, Vicariæ admittatur.

DE CONCIONATORI- BUS.

Caput II I.



Vi agris conferendis occupantur, in semine deligendo non postremam, imò præcipuam fermè curam habet, quod alias feracissimum, & bene ex cultum solum obseminis imperfectio-
nem,

nem, spem ferentis frustratur. Seminis autem perfectè viuacis tantam norunt esse vim, & efficaciam, vt terræ etiam qualitate non nihil resistente, ipsa cultura latis culmis, ac aristis proueniat, & enascatur, fructu copioso abundet & messe locupletet. Vt igitur in agro fidei apud populum nostræ Dioecesis similis fructus expectari possit: præter Symbolum fidei, quo Sacro Sancta Romana Ecclesia utitur, & præter articulos omnes in eo contentos, quos populus firmiter credet viuendo, & viuifico verbi diuini semine opus erit: statuimus itaque, vt omnes Prælati, Parochi, & alij, ad quos munus docendi spectat, diligenter omnia dogmata Catholicæ Religionis populo summo studio, & cura, cum in publicis concionibus, tum priuatim etiam, quauis commoda occasione proponant, & vt quam
K plurimos

plurimos Christo lucrifaciant, perennem, & salutarem operam nauēt. Fieri enim non potest, quin ex assidua cultura, in cordibus humanis, seges lata prouentura sit; cui pullulanti & nascenti, misericors DEVS, rorem benedictionis asperget, & fructum æternæ beatitudinis frœundabit. Ad hanc rem, & cum primis ad prædicandū officium, feligantur viri Catholici, pii, graues, & maximè idonei, qui tam vita, quam doctrina populo præeant, et qui morum integritate, & cognitione scripturarum, vtriusq; Testamenti, quam maximam in vinea Domini facere contentur messem.

QVID DOCERE DEBEANT CONCIONATORES.

Caput III.

Articulos

Articulos de hominis iustificatione, De Missæ Sacrificio: De Sacramentis; De inuocatione Sanctorum: De veneratione reliquiarum, & imaginum: De Purgatorio: De indulgentiis, & votis: & si qui sunt alij, qui à scelestis Neotericis in dubium impiè vocantur, Parochi fideliter explicent; quid credendum sit doceant, prudenter etiam calumnias diluant hæreticorum, qui Sacramenta, & articulos fidei & ceremonias Ecclesiasticas, & totum denique cultum diuinum ac Religionem Catholicam, cum alias passim, tum præcipuè apud imperitam, & nimis credulam multitudinem plebis, indefinenter calumniari non verentur. Dum diebus Dominicis, & alijs diebus festis, Euangelica historia populo legitur,


K 2 Parochi

Parochi & concionatores circumspice-
 re quippiam ex controuersijs pro au-
 ditorum captu explicabunt. Quod si
 Parochus eius eruditionis non sit, vt
 dilucidè, ac solidè eiusmodi quæstiones
 tractare possit: satius erit ab ipso sim-
 pliciter veritatem, omissa disputatione
 proponi: Hortetur autem populum ad
 timorem Domini, ad Religionem Ca-
 tholicam constanter retinendam, vel si
 Catholicus non sit, ad amplectendam
 eandem; ad bona opera exercenda, &
 ad piè viuendum: dehortetur contrà ab
 omni scelere, flagitio, atq; ab his
 maximè vitijs ad quæ peculiariter ho-
 mines suæ Parochiæ senserit propen-
 dere.

**ORDO QVIS A CONCIONA-
 TORIBVS IN DOCENDO SIT
 OBSERVANDVS.**

Caput V.

Prædica-



Radicationis in Ecclesia
 Dei munus præcipuum, ac
 per necessariū, cum magno
 administretur fructu, ac
 utilitate, si modo recte, & ex sincera
 charitate erga DEVM, & proxi-
 mum, & secundum præcepta, & exem-
 pla Sanctorum Patrum, qui hæc profi-
 tentes fidei Catholicæ propagatione,
 plurimum Ecclesiæ contulerunt exer-
 ceatur: necessarium esse duximus, Cu-
 ratis omnibus ijs, præsertim, qui parum
 moratæ plebis Rectores sunt, certum
 modum præscribere, quoad utilitatem
 eorum, quos instruunt, ipsorum officiū
 potissimum dirigatur. Idcirco statui-
 mus, & ordinamus: vt Parochi audito-
 ribus suis, præter Euangeliorum ex-
 plicationem partes Catechismi Ro-
 mani, certis anni temporibus, & hoc
 quidem ordine explicandas sibi sumāt:

K 3

ā die


à die Epiphaniæ ad Quadragesimam
 vsq. Decem præcepta DEI: In Qua-
 dragesima de Pœnitentia, & Eucha-
 ristia Sacramento: tempore Paschæ
 de Baptismo & Confirmatione: cir-
 ca festum Pentecostes, de oratio-
 ne Dominica: post festum Trinita-
 tis Symbolum Apostolorum: & sic
 vnus anni circulo reliquas Cate-
 chismi partes absoluant. Expedit et-
 iam, vt doceant plebem Apostolica-
 rum traditionum, & sacrarum ceremo-
 niarum ordinem, vim & institutionem:
 quo religiosius, & maiori cum reue-
 rentia, omnes pietatis capaces, illam
 excellentem harmoniam penitus co-
 gnoscant, & amplectantur. Indulgen-
 tiarum literas in omnibus passim Ec-
 clesijs reuideri ab Ordinarijs Visita-
 toribus, & ad consolationem anima-
 rum à Parochis, & alijs Concionatori-
 bus certo tempore, quod ex circum-
 specto

specto Visitorum arbitrio constitue-
 tur, ex Cathedra publicari, & promul-
 gari iubemus. In genere autem ex Sa-
 cro sancti Concilij Tridentini decre-
 tis statuimus, vt nemo nobis contradi-
 centibus prædicare præsumat.

DE CONCIONATORI

BVS REGVLARIVM

Caput VI.


 Dem quoq. obseruandum est, quo ad Regulares ex
 Decreto Concilij Triden-
 tini, quo etiam cautum est,
 vt nullus regularis Canonicus aut
 Monachus, cuiuscunq. ordinis, prædi-
 care præsumat, ne in suis quidem Ec-
 clesijs, nisi superiorum suorum licentia,
 & morum, vitæ, & scientiæ examen &
 approbatio præcedat. Qua in re lon-
 ge utilis adhibenda erit cautio, vt co-
 ram

ram quilibet eiusmodi consensus apud
nos fidem faciat, & benedictionem pe-
tat. In alijs autem Ecclesijs, quæ ordi-
num non sunt, præter concessionem
suorum superiorum, eamq; recentem,
& legitimam, sine licentia nostra nullo
modo possunt prædicare; Monachi
autem errones, qui nomine solum re-
gulares, extra claustra, & obedientiam
Religionum suarum hincinde ober-
rant, & diuagantur: Presbyteri ite-
n eius conditionis seculares (nisi sint no-
bis noti) ne in ciuitate vel Dioecesi
conciones faciant, sunt prohibendi.
Ne Parochi, aut concionatores seduli-
tatis & laboris iacturam faciant, suoq;
munere sine fructu fungantur, quod fit
si plebs à sacris, & concionibus absit:
Præfectis, & magistratui in omnibus
ditionibus nostris serio iniungimus,
vt tempore Concionum & diuinorum
officiorum,

officiorum, ociosam, & bibulam tur-
bam à tabernis, è foro, & plateis abi-
gant, & vt concionibus, & diuinis offi-
cijs intersint, nisi legitimis causis im-
pediantur diligentissimè hortentur,
vel potius autoritate sua omnino
curent. BIBLIOTHECA
WROCLAW

Hortamur autem omnes alios, cuius-
cunq; ordinis, vel status fuerint, vt in
locis, & Dominjs sibi subiectis idem
fieri curent: id cum Christianæ pietati
convenientissimum sit, omnino futu-
rum nobis planè persuasum habemus.

*A QVIBVS CONCIONATORES
ABSTINERE DEBEANT.*

Caput VII.



Vm homo omnis ad huma-
nitatem, & benè dicendum
natus sit potius, quam ad in-
figen-

figendum mordacis linguæ vibrantem
aculeum, aut ad inspergendam factis
alienis labem: id præ ceteris conciona-
tores Religiosi & seculares meminisse
debent, quos serio monemus, ut in sug-
gestu à scommatibus, maledictis, & con-
uitijs omnino abstineant: in confesso
est enim, si semel atq̃ iterum eiusmodi
dictis asperiores infixerint mor-
sum: vulnus aut difficillime per sanari,
aut si sanetur, cicatricosum nihilomi-
nus relinqui locum: quod in publico
conuitia passi, exacerbatiores magis
ac magis reddantur, eosq̃ odio habe-
ant, quos veluti patres, & salutis asser-
tores aliàs venerati fuissent. In quæsti-
onibus controuersis, si mentio pro con-
cione fiat, moderata linguæ temperies
adhibenda, & cauendum est, ne temerè
conuitia iactent, sed salua Catholicæ
vnitatis veritate, charitatem, & bene-
uolenti-

uolentiam erga omnes præferant.
In repræhendendis criminibus graui-
tatem adhibeant, & prudentem aliquā
vehementiam, iracundiæ omnis exper-
tem, & vitia quidem redarguant so-
lum, neminem autem vnquam nomina-
tim perstringant, nec vllò signorum
genere detegant; nullum ordinem, sta-
tum aut tribum asperius appellent,
multo minus apertè & nominatim vel
Ecclesiasticum vel ciuilem magistra-
tum repræhendant. Nocturno tempo-
re nemini liceat concionari, nec dum
die habetur concio, in eadem Ecclesia,
clara, vel submissa voce Missæ legan-
tur, vel horæ Canonice decantentur,
nec Baptismi Sacramentum eadem ho-
ra, nisi necessitate aliud exigente ad-
ministretur, vel quicquam aliud aga-
tur, quod concionatorem ipsum, vel
Auditores turbare possit.

L 2

Si

Si Prædicator errores, aut scanda-
la in populum disseminare depræhen-
datur, aut alijs secularis, vel regularis
contradicientibus nobis prædicare
præsumat, ijs sine mora conciones in-
terdici mandamus.

QVALES LIBROS PA-
ROCHI HABERE DEBEANT.

Caput VIII.

VT Rectores Ecclesiarum, se-
cundum sanam scripturæ in-
telligentiam verbum DEI
annuncient, librorum verè
Catholicorum honesta suppellectili in-
structos esse eos oportet: statuimus
igitur, & mandamus, vt omnes Paro-
chi, præter sacra Biblia, vnā, & altē-
ram Postillam, Catholici scriptoris,
qualis est Thomæ Stapletonij, Ludo-
uici

uici Granatensis, Iacobi Feuchtij, &c.
Catechismum item Concilij Triden-
tini, Summam, Siluestrinam, Fran-
cisci de Victoria: Doctoris Nauarræ,
Rationale diuinorum officiorum, Di-
rectorium audiendi confessiones Po-
lanci; & auctorem præterea probatum,
qui fidei tractet controuersias, sibi
comparent: neq; alicui Parochiam cre-
di volumus; qui aliquos saltem prædi-
catorum librorum non habeat. Curæ
autem erit nobis, vt apud Bibliopolas
Nissenses tales libri venales reperian-
tur: ne apud Parochos ob penuriam
exemplorum, excusationi vlli supersit
locus. Parochi villarum, qui legitimo
impedimento tempore pomeridiano
Christianam doctrinam, & Catechis-
mum iuventutem docere non possunt,
ante concionem orationem Domini-
cam, & salutationem Angelicam: post

concionem Symbolum Apostolorum:
alio vero tempore præcepta Decalo-
gi, quinque præcepta Ecclesiæ articula-
ta voce recitent, & iuuentus præeun-
tem imitetur, & paulatim addiscat.

DE PROCLAMATIONI-

BVS POST CONCIONEM.

Caput IX.

INdecorū quinimo ineptum
est sacra profanis misceri,
huius ut salubri occurratur
remedio, statuto nostro expressè, & se-
rio cauemus, ne proclamationes fiant
in templis quarumvis rerum: quæ ad
secularem magis negotiationem quan-
dam, quam ad Ecclesiam pertineant,
ut sunt: venditiones domorum, agro-
rum, & eius generis etiam leuiorum.

DE

DE LECTIOIBVS

SACRIS.

Caput X.



Onsueuerūt Medici peritio-
res, in periculosis & acutis
morbis, omni cura variarum
medicinarū cōpositiones, ex artis suæ
penetralibus desumptas, in promptu
habere: ut contumacium morborum
lathalem vim frangant, usu medicinæ
præstantis arceant, aut corpus iam æ-
grum restituant sanitati. Id in hære-
sum quoque morbis ubi cum corpore
anima in periculo versatur faciendum
esse SS. Concilium Tridentinum cen-
suit, cuius Decretis insistentes statui-
mus, ut à Parochis quidem ubique
pro Concione Euangelium explicetur,
fides Catholica doceatur, apud Ec-
clesiam

clesiam verò cathedralem, tanquam in loco ob maiorem frequentiam Prælatorum, Canonorum, aliorumque Sacerdotum, magis celebri, & honorato, singulis septimanis bis, vel semel ad minus legatur lectio Theologica, qua controuersi Articuli huius temporis explicentur, & aduersariorum argumenta, Catholicorum dogmata impugnantia refutentur, & velut Antidotus præsentissima, veneno sectariorum opponatur. Hora lectionis ea præfigatur; quæ Vicarijs Mansionarijs, & reliquis Sacerdotibus, & Clericis in Psallendis horis Canonicis, & cultui diuino in Ecclesia nullum afferat impedimentum.

In Schola ciuitatis nostræ Nissen-
sis, vbi propter Seminarium Clerico-
rum & Pædagogium nobilium secula-
rum maior est Scholasticorum nume-
rus,

rus, & frequentia: præter lectiones Con-
trouersiarum, casuum etiam conscientia
lectio, bis vel ter in septimana secundum
captum Auditorum adiiciatur. Abbates **AB**
Wratislaviæ commorantes, fratres suos,
qui nec in Seminario nostro Nissæ, nec
in aliqua Academia studet, ad lectiones
in Insula Wratislaviensi audiendas
mittant. De reliquo omnes Abbates,
iuxta antiquas consuetudines, & sta-
tuta Prouincialia, & Concilij Triden-
tini decretum, in suis Monasterijs, &
conuentibus, Magistrum Theologiæ,
qui sacram scripturam interpretetur,
alant, vt suo tempore ex ipsorum gre-
mio idonei ad Monasteria gubernan-
da, aut Ecclesias Parochiales regen-
das inueniantur.

Sed & Catechismum, Parochi
maximè in populosis oppidis, & locis,
vel mane vel à prandio doceant: vel
certè advigilent, vt ludi Magistri, &
M Pædago

Paedagogi, in Scholis pueris fidei rudimenta sedulò inculcent.

DE LIBRIS.

Caput XI.



Elebrium Rerum publicarum historici, præter cætera laudabiliter constituta, hoc non in postrema posuerunt laude, quod scurriles libros ob dicacitatem & ingenij virulentiam Vrbe sua interdixerint, ne illorum lectione castis, & honestis ciuium moribus aliquid venenatæ mordacitatis instillaretur. Eandem enim cautionem adhibendam in moribus, & vita censebant, quam pestis contagiosa lue seuiente, alij naturæ ductu ad conseruationem sui adhibere consueuerunt. Cuius ut seuitiam effugiant Antidotis ex varijs terra

terra nascentibus vtuntur, & fructus, odores, liquores, pesti, specifica vi aduersantes, ab extremis Indis petunt; In primis verò cauent ne in loco infecto commorentur, cum ex aëris contagiosi attactu nihil nisi certum veneni periculum, & mors ob oculos versetur. Hanc industriam nos quoque imitari æquum est, vt & morum honestatem, vitæque integritatem populo Christiano dignam, in Dioecesi nostra conseruemus, arceamus autem potissimum ea hæreticorum librorum venena, ex maledici, & blasphemii profecta spiritus suggestionem, quæ peste eò nocentiora sunt, quò magis præcipuam humanæ essentiaë partem, animam videlicet inuadunt, ac æternæ damnationi, & cruciatibus obnoxiam reddunt. Re-medium autem vix vllum efficacius reperitur, nisi vt infelicissimæ huius

infectionis occasio euitetur, quod fiet
si concionatores, & Parochi sedulo in-
uigilauerint, vt hæreticorum libri
improbatae lectionis extirpentur: sicut
nos vigore huius constitutionis serio
omnibus mandamus; In primis verò
Clericis, qui populum docent, ne li-
bros eiusmodi apud se retineant, aut
alios suæ commissos fidei habere pa-
tiantur: neque illos libros interno-
scere difficile erit, cum iam pridem in-
certum Cathalogū relati, & à Patribus
S. S. Concilij Tridentini, ac à Pontifi-
cibus Maximis damnati fuerint: quod
S. S. sedes Apostolica videret, omnes
lucubrationes, ex hæreticorum pro-
deuntes officina, perennes esse fontes,
qui perpetuum scaturiunt virus, &
instar Aconiti, succum proferunt leta-
lem. Huius præcauendi causa iterum
mandamus ne Prælati, & curati vlllo
modo

modo in locis eorum iurisdictioni
subiectis, eos importari, aut publicè
vendi, aut quouis modo infidelium ma-
nus deuenire patiantur. Qui monitis
obsecundare noluerint, ij Commissa-
rijs, & Officialibus denuncientur, vt
contumaci licentiæ huic oportunum
frenum iniiciatur. Et ne ignorantia
sit excusatio, operæ precium erit Ca-
thalogum librorum prohibitorum sin-
gulis annis Nissæ in conuocatione Pa-
rochorum post S. S. Paschæ festiuita-
tem; per Archidiaconos verò, Archi-
presbyteris, & per hos, reliquis subie-
ctis Parochis in suis congregationi-
bus quas certis anni temporibus
habere tenentur publicari. Nemo
etiam curatorum propria auctoritate
adeiusmodi librorum lectionem acce-
dat, sitq; memor grauissimarum con-
stitutionum, quæ à Iulio tertio, & à Pau-
lo quarto alijsq; Romanis Pontifici-
bus,

bus, se: rec: hac de re edita sunt. Quod si quis damnata illius lectionis libros aliquos scienter apud se retinuerit: intra octodecim dies à fine huius Synodi, sub poena, & mulcta arbitraria, Visitatoribus Ordinarijs tradi volumus.

DE PAROCHIS.

Caput XII.



Vi in ciuilibus vitæ humanæ actionibus, munisq̃ue gubernandis, prudentiam consultricem adhibent, eo respiciunt maxime, vt rebus gerendis, dignos, & idoneos præficiant: rati hoc valde opportunum felicitis successus medium esse, & imperitos, paruique iudicii homines, plus sæpius detrimenti, quam commodi, publicæ rei afferre. Id in Ecclesiæ similiter negotijs, vt obseruetur, cum

cum magna æquitate, ac vsu maximo coniunctum censemus. Sicuti igitur in tota passim Dioecesi exactissimum haberi delectum volumus, dum animarum cura secularibus sacerdotibus credenda est, vt præstantiorum, potiorumq̃ habeatur ratio; ita similiter in Monasteriorum Parochijs hanc desiderari circumspeditionem nouimus: ideoq̃ ex SS. Concilij Tridentini præscripto sancimus, vt occurrente vacatione Parochialium quæ Iuris Patronatus, Abbatiarum, aut alijs Ecclesiastici fuerint, seruetur ad vnguem quod salubriter constituit idem Concilium Tridentinū d.c. XVIII. sess: XXIII. vers. Si vero iuris patronatus: In beneficijs autem curatis, vnitis Abbatijs, aut alijs Regularium Monasterijs, seruetur decretum ipsius Concilij, c. VII. sess: VII. atq̃ Constitutio Pij quinti, fel:

fel:rec:de Vicarijs perpetuis. Si vero
ipsismet Monasterijs, aut domibus re-
gularium cura animarum immineat,
obseruandum utiq; esse, quod habetur
decreto, Cap. XI. sess. XXV. De
Regula: Nulli autem Parocho, vel
Reктору Ecclesiæ admissio & appro-
bato, suam Parochiam Beneficium, Ec-
clesiam sine licentia nostra expressa de-
serere, & alio migrare liceat. Monachi
verò vel Regulares cuiuscunque sint
ordinis, aut status, reiecti à suis Abba-
tibus, superioribus, vel Prælatibus, Paræ-
cias sub alijs non obtineant, nisi cau-
sam dimissionis in scriptis legitimam
proben. Meminerint autem Abbates
ne fratres suos iam professos, licet
inobedientes, aut etiam rebelles, ex
Monasterijs ita dimittant, ut neglectis
votis, secularium viuendi morem sibi
assumere ausint: sed iuxta ordinis sui
Regulam

Regulam, digna animaduersione in
viam reuocent, vel contumaces addito
vitæ, ac morum vero testimonio, ad
aliud Monasteriū ordinis eiusdē dimit-
tant: Eam si habet negotiorum multitu-
do peculiarem, veluti vim in plerisque
humanis rebus, ut varietas, & copia
accuratam, quæ alias adhiberi poterat
diligentiam, excludat, aut torpidiorem
reddat: multò magis in Ecclesiasticis
munijs id vñ venire certò constat. Be-
nè igitur cum Ecclesijs agi arbitramur,
si vnica ab vnico Rectore curam ani-
marum habente, piè, fideliter, & suffi-
cienter gubernetur. Occasio alicuius
incommodi ut euitetur: Volumus, Vt NR
nemo plures Ecclesias Parochiales, et
iam iuris Patronatus, obtinere possit,
quamuis earum fructus valde tenues
existent, nisi à sede Apostolica dispen-
sationem

sationem obtinuerit, cum multitudo
segniora efficiat officia & necessum
sit, quosdam subditos, aliquot Domini-
cis diebus, prædicatione Verbi DEI,
& SS. Missæ Sacrificio, & Sacramento-
rum administratione, negligi & de-
fraudari.

DE ARCHIDIACONIS
ET QVOD PRÆCIPVVM
EORVM IN VISITATIONE OFFI-
CIVM ESSE DEBEAT.

Caput XIII.

Poni Pastores præter eam,
quam adhibent curam, ne-
ouiculæ pascuis commodis,
ac pabulo sufficienti destituantur, syl-
varum quoque latebras indagare, &
perscrutari soliti sunt, an Lupus ali-
quis in insidijs ibidem lateat; qui prædæ
causa

causa gregem invadere, & oves rabi-
do dentium morfu dilaniare possit;
cognita enim luporum vicinitate, pa-
stores diligentius excubias agunt, ca-
num custodias adhibent, & malum à
grege arcent, & auertunt. Parem se-
dulitatem, imò accuratorem ab ani-
marum pastoribus requiri, & Salvato-
ris nostri admonitio, & ipsa ratio do-
cet. Idcirco statuimus, vt Archidia-
coni, in suo quisque Archidiaconatu, Pa-
rochos Catholicos, & obediētes, non
solum visitet, lepram à non lepra di-
dicet, & Christi eiusque Ecclesiæ Ca-
tholicæ insertas oves, à sectarijs secer-
nat, & tueatur; Verum etiam lupis illis
pro viribus omnem in gregem Domi-
nicum irruendi præcludat, vigilantem
oculo commoditatem. Oportunum
erit hac de causa Archidiaconatum
N. 2. Eccle-

Ecclesias, & Paræcias annotare, quæ
& quo tēpore à fidei Catholicæ vnitate
desciuerint, cuius iurisdictioni in tem-
poralibus subiecti sunt, quam sectam,
Lutheri ne, Caluini, aut Schvvenck-
feldij &c. amplectantur: ad hæc, an
Parochiani omnes ea sectariorum lue,
& luporum morsibus infecti sint, an
aliquibus pestiferum vulnus persana-
ri, & ex famelicis faucibus bestiarum
eripi possint. Ita enim iacula præuisa
minus ferient, & notæ Sectariorum
latebræ, minus extimescendæ erunt,
quin contra, circumstantiæ certa confi-
gnatione exhibitæ, ad defendendum
tuendum, & augendum ouile, magnum
adiumentum præbebunt.

DE SCHOLIS.

Caput XIII.

Julianus

Iulianus Imperator, magnus
ille Apostata, & acerrimus
Christianorum persecutor,
omnem Christi doctrinam
radicitus euellere, & extirpare volens;
callidissimum reperit inuentum; & in
toto Romano Imperio Christianis
scholas interdixit Animaduertit astu-
tus veterator, frustra adultiores &
constantis ætatis homines dogmate
imbutos esse, si iuuentutis institutio
tolleretur; Quo enim fundamento niti
debebat Religio, si illud dirueret, bre-
ui temporis spatium, maximam doctrinæ
Christianæ iacturam in Christiano
populo futuram, argutis oculis prospe-
ciebat. Neque res humanæ rationis
calcululo, successu fuisset destituta; nisi
idem Apostata Iulianus, qui ex Persico
rediturus bello, funera crudeliter vo-
uerat Christianis, & excidium mina-

N 3

tu

tus erat: in conflictu sagitta lætaliter
vulneratus, cœlos aspiciens, & impijs
his verbis; Vicisti Galilæe, sermonem
ad Christum conuertens, crudelem
animam efflasset. Evidentissima igitur
Scholarum necessitas, vel nobis
tacentibus suadet, idque etiam hac
constitutione sancimus, vt tanti ædi-
ficij, tam in Ecclesiastica, quam poli-
tica Repub. fundamentum primum
vbiuis conseruetur, & oportunus ad
id in ciuitatibus oppidis & pagis etiam
maioribus, vbi prius non sit, eligatur
locus, & hæc prior adhibeatur cura;
secundaria, vt in scholis præceptores
habeantur Catholici, probatæ vitæ,
ætatis iustæ, eruditionis, vt locus & of-
ficium exiget, sufficientis. Hiq; cum ad
id muneris eliguntur fidei professio-
nem iuxta constitutionem sanctæ mem-

Pij

Pij quinti, & decretum à nobis superi-
us editum, emittant, ijs mandamus se-
riò vt vnum eundemq; Catechismum
Petri Canisij, prælegant, cum varijs
authorum Catechismis, ingenia pue-
rorum confundantur. Vniuersim scri-
ptoribus Catholicis solummodo lo-
cum in Scholis concedimus, suspectos
autem omnes, planè p̄scribimus, &
perpetuo exilio mulctamus. Nam vt
Theologica omittantur, plerumq; et-
iam Grammatici, Dialectici, & Rhe-
torici libri à Sectarijs, vario errorum
cumulo contaminati, in lucem prode-
unt, vnde infectionis periculum immi-
net iuuentuti: superiorum inspectio à
quorum voluntate in assignandis præ-
lectionibus, & authoribus probatis,
Præceptores nunquam recedent; huic
malo occurret, & salutarem manum ad-
hibebit. In Germanicis Scholis idem

Cate-

Catechismus germanicè proponen-
dus, & explicandus est. Porro Præce-
ptores diebus festis, & maxime Domi-
nicis, hora aliqua conueniente, Sym-
bolum Apostolorum, Orationem Do-
minicam, Salutationē Angelicam, De-
calogum, Præcepta Ecclesiæ & alia,
quæ in Catechismo continentur, pro
captu & ingenio puerorum, pueris, qui
literas non didicerunt, explicent. Atq̃
huic negotio in oppidis, & pagis, Pa-
stores ac Sacellani, aut Clerici, Scribæ,
aut alij ad hoc idonei incumbant. Præ-
lati Ecclesiarum, tam Cathedralis,
quàm Collegiatarum, & Monasterio-
rum subditorum suorum filios ad Scho-
las hæreticorum mitti seriò prohibe-
ant; eosq̃ potius Catholicis Præcepto-
ribus instruendos mandent tradi. Plu-
rimi inopes, cum numerosa prole abun-
dent, quorum indoles magnum in lite-
ris

ris progressum pollicetur, ac pauper-
tas parentum, quò minus ad frugem
perueniant, & emergant, filijs obstacu-
lo sit: hortamur omnes Ecclesiastici
ordinis viros, aliosq̃ ex bonis Eccle-
siasticis viuentes, vt ipsi in tanta neces-
sitate Ecclesiæ, & Religionis Catho-
licæ iuuandæ commoditate, promptos,
hilares, ac liberales se præbeant, &
pauperum, & vilioris conditionis ho-
minum filios, in studijs liberaliter iu-
uent: inprimis fermè rudimentis li-
terarum, indoles quemq̃ commonstra-
bit, an ad grauiores disciplinas idone-
us videatur. Si ad altiora aspirantes
in medijs subsistent, vel id non infrugi-
ferum erit: Visitatores cum alijs vi-
sitant, Scholas non prætergredian-
tur; idem faciant sæpius, quibus
ex officio id peculiariter

O

DE

DE LIBRARIIS.

Caput XV.

Non liceat cuius de rebus fidei, & morum, ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium quidlibet vlla ratione scribere, vel imprimere, vel impressos libros diuendere, aut apud se retinere, aut scripta etiam communicare, sine superiorum Ecclesiasticorum licentia, & examine, ac nostra approbatione (quæ in fronte vel fine, libri scripti, vel impressi apponenda est) sub pœna Anathematis, ac arbitraria pecuniæ, & amissionis librorum; similiter, nec Librarijs, Bibliopolis & Typographis concessum sit, in nostras editiones ullos Sectariorum libros importare, advehere, & ibidem exponere venales: Quocirca vetustiorum Provincia-

uincialium Synodorum exemplo statuimus, vt singulis annis ab ijs quibus munus visitandi incumbit, vel quibus nos hoc committimus Bibliopolarum libri venumexpositi visitentur. Quilibet autem Parochus apud suæ Parochiæ Patresfamilias cautè inquirat, an libros hæreticos, in suis domibus habeant, & si quosprehenderit, Visitatoribus, vel nobis significet.

Ne in locis iurisdictioni Ecclesiasticorum subiectis, dissensionis, & perfidiæ Spiritus disseminetur, iniungent omnes suis Præfectis, vt quoad eius fieri potest, neminem ius ciuitatis acquirere, aut in senatum cooptare fiant, aut ad officia honoraciora admittant, qui non prius se Ecclesiæ obtemperatum receperit.

DE CVLTV DIVINO.
ET ECCLESIIIS.

Caput I.



Vm omne illud, quod in templis manufactis agitur totum in nobis spirituali re-ædificatione compleatur: ipsaq; domus DEI in terris constituatur, vt in ea fidelium suorum exaudiat preces, visitet animum, excitet affectum, suæ gratiæ surroget auxilium, & nominis conseruet cultum: meritò sanè eiusmodi locorum dignitatem, & reuerentiam pro viribus tuemur. Et quoniam compertum est, non rarò Ecclesias sine Antecessorum nostrorum licentia, ac sine vlla dote ædificatas esse, quæ fartæ tectæ conseruari, & pro decore domus DEI exornari nequeunt; statuimus, vt nulla Ecclesia de nouo in posterum, à quo-

à quocunq; quantumuis pio ducatur zelò absque permissione nostra extruatur. Cum verò ex nostra licentia constituenda fuerit, fidelium in hac Dioecesi auctior numerus, & insignis, ac manifesta vtilitas, nouam erigi Ecclesiam veluti cogeret; ad hanc situs decens, honestus, & populi capax diligendus erit, ab alijs ædibus tantum distans, vt commodo circumiri, spatio possit: Altare verò maius Orientem versus in ea constituatur. Ante dotis verò assignationem sufficientem, vltimū construi templum prohibemus: quia enim ad rem diuinam faciendam, & cultum peragendum, conseruandam etiam ipsam Ecclesiæ structuram, redditibus opus est; ne si his careat Ecclesia, posteaquā ædificata & consecrata fuerit, in profanum vsum vicissim conuerteretur. Domicilia nostra maxi-

mis sæpe sumptibus exornare, & aëris
intemperiem, ac iniuriam arcere con-
sueuimus: maiorem adhibemus soler-
tiam, ad corporis deperditas, aut la-
bascentes vires recuperandas: quan-
tò æquius est, in ædibus DEO constru-
ctis, & dedicatis fieri, in quibus pre-
tiosissima salutis nostræ pharmaca con-
ficiuntur, ipsa nimirum Sacramenta
administrantur, animæ, DEI Verbo
pascuntur; vt nimirum integræ ab
omni detrimento & iniuria conseruen-
tur. Et Collegiatis vel alicuius mo-
nasterij, vel Prælati ruinosas, vel col-
lapsas Ecclesias, Capitula, vel Prælati
earum; Parochiales autem instauren-
tur ex fructibus, & prouentibus; ad
easdem Ecclesias quomodocunq; perti-
nentibus, qui non fuerint sufficientes,
omnes Patroni, & alij, qui fructus ali-
quos, ex dictis Ecclesijs, provenientes
percipiunt,

percipiunt, aut in eorum defectum Pa-
rochiani oportunis medijs reficere, &
restaurare cogantur, quacunq; appel-
latione, exemptione, vel contradi-
ctione remota, quemadmodum opor-
tunè sancitum est Decreto Tridentini
Concil: Cap. VII. Sess. XXI. Ab
ijsdem nundinationes & mercatus Lai-
corum arceantur accessus; in villis
præsertim muniatur, ne brutis anima-
libus ullus pateat ingressus, & eo tem-
pore quo diuina celebrantur officia,
aut conciones ad populum habentur,
deambulationes, nugæ, & risus minimè
tolerentur, vt Domus DEI, domus
Orationis, & videri, & dici verè possit.

Non sine dolore intelleximus, quas-
dam Ecclesias, & Oratoria publica in
profanos vsus conuerti, ita vt in ijs de-
ponantur, quæ eiusmodi locum minime
decent, vtpote ligna, asseres, Cemen-
tum

tum, grana, arma bellica, &c. Hæc ut deformitas tollatur, ex omnibus Ecclesijs, omnino huiusmodi amoueri aut aliàs opportunè accommodari mandamus, ne domus DEI suo decore destituatur; Quod si in villis, præter Ecclesiam nullus reperiatur ad arma bellica asseruanda locus, in secretiorem aliquam Ecclesiæ partem, ne in conspectus sint, poterunt reponi. Nemo etiam absq; dote idonea, & licentia nostra, Oratorium aliquod publicum constituat. Ciborium picturis sacris eiusmodi exornetur, quæ populum doceant in eo Venerabile Sacramentum Corporis Christi asseruari, & quæ ad adorandum incitent, Lychnus olei in lampade, vel candela accendatur, ad minus tempore diuinorum officiorum; si tenuitas prouentuum non fert, ut perpetuo ad honorem tanti Sacramenti ardeat. Curati

Curati omnes certum aliquem locum ad Confessiones excipiendas, in Ecclesijs suis constituent, neq; is retro Altare, aut in aliquo obscuro Ecclesiæ angulo existat.

Suggestus pariter, ex quo Conciones ad populum habentur opportunè, & decenter per Vitricos Ecclesiæ, Parocho monente, erigatur.

DE ALTARIBVS.

Caput II.



Vm plerique Beneficiorum, piarum obliti foundationum, Altaria sua, ornamenta, Sacramque suppellectilem vel negligent omnino, vel minus æquè curent, minusque instructam, aut ornatam habeant: mandamus ut intra tres menses, post huius Synodi publicationem,

nem, ornamenta sacra Beneficiatū reficiant, & Altaria exornent, prout honestas, & loci pietas postulauerit: alioquin per alios, Beneficiatorum tamen impensis cauebitur, ne quid indignum patiaur domus Domini: In quem vsum & fructus arestare licebit. Idem faciendum de domibus Beneficiatorum, vt tempestiuē instaurentur, perpetuoq; usufructuariorum sumptibus conseruentur in debito suo statu; sic tamen vt habeatur ratio prouentuum, ne plusquam par est, sese grauari beneficiatū conquerantur.

DE SUPPELLECTILI ECCLESIAE

Caput III.



Atres familiās, ciuilitatis, & mundiciei in re domestica studiosi, supellectilem etiam mundam

mundam amant; nec satis censent reliquam domum cœnaculis, & cubiculis exornatam esse, nisi mundicies in utensilibus appareat. Non ab simili modo nos quoq; æquum censemus, vt in re sacra administranda præter templi structuram, arasq; affabrè, sculptoris, & pictoris, aliorum uē artificum manu præparatas, & deuotioni accommodatas, supellex quoq; Ecclesiæ munda, & nitida seruetur. Quare in Ecclesia Cathedrali, Collegiatis & Monasterijs Sacristanis, in Parochialibus verò Parocho curæ erit, vt corporalia, & purificatoria, quæ ubi aliquando ob frequentem communionis vsum immunda fuerint, à Clerico saltem Diacono lauentur, in vase ad hoc peculiariter destinato; postea verò Monialibus dentur vt purius lauent, ubi Moniales non sunt, dentur alicui honestæ matronæ;

matronæ; quod si vetustate attrita fuerint, in cineres concrementur, qui in Sacratio, in locum peculiarem proijciendierunt. Quæ nova substituuntur; ea ex purissimo, & mundissimo linteo fiant, & in medio, acu non pingantur.

Monemus omnes, quibus Ecclesiæ commissæ sunt, ut paramenta, & ornamenta omnia, ad Ecclesias spectantia, ut sunt; Cruces, vexilla, thuribula, vasa aspersoria, imagines, siue sculptiles sint, vel depictæ, puluinaria, mappas, seu vela, calices, & patenas, manutergia, capsulas, ampullas, corporalia, superpellicea, albas cum stolis, manipulis, casulis, fimbrijs amictis, monstrantijs, & quibuscunq; alijs ad cultum diuinum, & ministerium pro Sacerdotibus necessarijs, rectè, mundè, & tutè conseruent, eademq; reficere, & augere studeant. Vestes Sacerdotales, & ad cultum

cultum diuinum benediçtæ, in profanos vsus non conuertantur; sed ex antiquis casulis, dalmaticis, & pluuiialibus; puluinaria, bursæ corporaliũ, coopertoria librorũ, reliquiarũ, antipendia, & alia huiusmodi fiant. Et quæ non sunt cõsecrata, consecrentur adhuc, reparentur vastata, & destructa; tq; diligenter prospiciatur, ne rodantur per mures, vel per vermes. In Sacristijs habeantur cistæ, & almaria ad hæc sufficientia & munda, & rectè disposita. Si aliquid paretur noui, non prius sacris adhibeatur vsibus, quam ab Episcopo, vel eius Suffraganeo benedictum fuerit. Nullæ imagines, quæ imperitæ plebi ad obscœna magis, quam ad deuotionem, & pietatem incitamentum præbent, in Ecclesijs statuuntur. Quæ verò antiquitate videntur esse consumptæ, renouentur; mutilæ autem, & trunca-

truncatæ, aut reparentur, aut tollantur; neq; in processionibus publicis huiusmodi deformes imagines circumferantur.

Sancta antiquitas Organorum concentum, & instrumenta musica in Ecclesijs ad meræ deuotionis, & pietatis vsum haberi iussit, nihil igitur seculare, vanum, aut amatorium Organistæ, aut musici vnquam sonent, aut cantent.

Coemiteria, fidelium dormitoria, ne inuanos, & seculares conuertantur vsus, tutò claudentur ne quadrupedibus pateat ingressus; atque in eorum medio, vbi loci commoditas tulerit, crux erigatur.

Baptisteria seruentur munda, cautè clausa, ac ita parata, ne aqua effluat, habeantq; opercula non spurca, sed honesta, ornata, & aliquo colore depicta;

etia; Rector etiam Ecclesiæ, clauēs ad Baptisterium solus custodiat, & nemini concedat.

Aquam benedictam, quæ singulis annis adhibitis oleis sacris renouanda est, ex baptisterio nemini dent, vel concedant, postquam Sacrum Chrisma est admixtum; quum notorium sit, homines sapissimè ijs ad superstitiones, fascinationes, & maleficia horrenda abuti.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

Caput IIII.



Vm ceremoniæ, quæ in Sacramēto Baptismatis administratione adhiberi solent, ab hæreticis rideantur, eamque ob causam nonnulli in Baptizandis infan-

infantibus easdem prætermittant, aut
ad libitum mutent; mandamus omni-
bus curatis, & Rectoribus Ecclesia-
rum Parochialium, vt quando anti-
quissimos Ecclesiæ ritus in Baptismo
paruulorum exhibent, sicuti eos sanctè
observari volumus, nonnunquam bre-
uem aliquam Catechesin, de eorum
origine, institutione, seu fine ad susce-
ptores, & astantes faciant, maximè, eo
loco & tempore, vbi, & quando ali-
quem contemptum, & horum rituum,
& latinæ linguæ in qua peraguntur o-
riri posse probabiliter subuererentur.
Parochus cum honore, & reuerentia
Baptismum conferat, diligenterq; ad-
uertat vt vnus tantum patrinus, vel ad-
summum vnus, & vna admittatur, qui
infantem de fonte leuent, inter quos
spiritualis cognatio contrahitur, vt
Concilium Tridentinum, in Cap. II.
Sess.

sess. XXIIII. habet. Et quia in hac
tota Prouincia à multis iam annis
vfitatum est, tam apud nobiles, quam
apud plebeios, vt ad infantum suorum
Baptisma, quam plurimos inuitare
solcant: diligenter Parochi sciscita-
buntur, quos ex illis pro veris patrinis
habere velint, eosque in librum, quem
peculiarem ad hoc habere tenentur,
vna cum nomine infantis, patris item,
& matris, & certa anni ac diei con-
signatione annotabunt. Aduertent
autem ne Baptismi formam immutent,
aliquid addendo, minuendouè; ean-
demque obstetrices, quæ aliquando
dum Sacerdos tanta celeritate adesse
non potest, & mora periculo non va-
cat, infantes Baptizant, doceri curent.
Quod si infans in necessitatis articulo
ante Baptizatus, ad Ecclesiam depor-
taretur, & dubium esset, an Obstetrix
Q rectam

rectam Baptismi formam obseruassent
eum non nisi adiecta conditione Bapti-
zent : nimirum si non es Baptizatus
ego te baptizo **IN NOMINE**
PATRIS, ET FILII, ET
SPIRITVS SANCTI, AMEN.
Adhortentur Curati suos Parochia-
nos, ne infantes ad sacrum Baptismi
fontem, & lauacrum deferendos, diu
detineant; sed quantotius baptizare
curent, nec vlllo modo vltra octauam
diem Sacramentum tam ad salutem ne-
cessarium differri patiantur. Præterea
susceptores, seu patrilios infantis eru-
diant de ipsorum officio, quod bapti-
zato tanquàm filio spirituali impende-
re, & Christianæ Religionis rudimen-
tis fideliter imbuere teneantur. Nec
permittant illis ridicula, vel gentili-
um, & impiorum hominum nomina im-
poni; sed eorum potius, quorum fi-
dem.

dem, & virtutem Christianam, in coelis
iam dudum nouimus esse remunera-
tam.

DE CONFIRMA- TIONE.

Caput V.



Vandequidem illis, qui à
Christo Rege in militiam
conscripti, & aduersus spi-
rituales nequitias, & tenebrarum
potestates, dum viuunt, cōtinuò pugna-
re coguntur, salutariter prouisum est
per Confirmationis Sacramentum: quo
fortiores & confirmatiores ad profi-
tendum nomen Domini Iesu Christi
efficiantur: illud sanè cum deuotione
amplectendum est, Singulis itaq; an-
nis oportunis temporibus & maxime
si fieri potest, circa festum Paschæ, &

Pentecostes Dominus Suffraganeus
ad celebriores, & magis populosas ci-
uitates se conferat, & id Sacramentum
administret: Per Parochos autem po-
pulus de dignitate, & præstantia huius
Sacramenti prius erudiatur, quem, &
ad eam ciuitatem, certa præscripta die
euocare Parochi debent. Quò verò
maiori cum fructu, & vtilitate hoc
Sacramentum à fidelibus percipiatur,
omnes curati adultos admoneant, vt
non nisi post peccatorum suorum con-
fessionem, & si placuerit, Eucharistiæ
sumptionem, ad confirmationis Sacra-
mentum accedant. Infantes rationis
impotes, & qui ad septimum ætatis
annum nondum peruenerunt; non
confirmantur; nisi rationabilis aliqua
causa contrarium suadet; quod confir-
mantis prudenti arbitrio relinquitur.
Oseruabunt etiam ne confirmandi
absque

absque susceptore, vel patriño compa-
reant, qui dextra suscipiat, confirman-
dum teneat, offeratque Episcopo ad-
ministranti hoc Sacramentum. Ad-
monendi etiam sunt ex Confirmatio-
nis Sacramento inter Confirmantem,
& Confirmatum illiusque patrem & ma-
trem, ac tenentem, cognationem spiri-
tualem contrahi, & Sacramentum hoc
sicut Baptismum iterandum non esse.

DE EVCHARISTIA.

Caput VI.



Vm diuinum illud & ad-
mirabile Sacræ Eucharis-
tiæ Sacramentum, panis
Angelorum, animarum nostrarum sa-
lutare medicamentum, viaticum salu-
tis æternæ, & pretiosum futuræ gloriæ
pignus, summa cum religione & cultu
admi-

administrari debeat & à fidelibus par-
ticipari tanto frequentius, quo maiori,
cum dispendio animæ, illius usus in-
termittitur. Iecirco Parochi, omnes
laicos homines vtriusq; sexus adhor-
tabuntur, vt Sacro Sanctam Eucha-
ristiam, ni legitimum adsit impedimen-
tum, ad minimum quater in anno in
Pascha quidem ex præcepto; in festis
verò Pentecostes, Assumptionis Bea-
tissimæ semper Virginis DEI geni-
tricis Mariæ, & Natiuitatis Domini
nostri IESV CHRISTI, ex
pia deuotione sumant. Licet autem
ab initio Christianæ religionis, ali-
quando vnus, aliquando vtriusq; spe-
ciei, usus fuerit, progressu tamen tem-
poris Sancta Mater Ecclesia graui-
bus, & iustis causis adducta consuetu-
dinem sub altera specie communican-
di approbavit, & pro lege habendam
decre-

decreuit. Quoniam verò ex indulto
quodam à felicis rec: Pio Papa quarto
concesso regno Boemiæ, cui Prouincia
hæc, & Dioecesis Wratislaviensis in-
corporata est laicis Calicis usus sub
certis forma, & conditionibus permi-
sus fuit; quæ tamen in eius exhibitio-
ne, quantum experimento comperi-
mus, non seruantur, seu à communican-
tibus implentur; nec plerumq; usus
huiusmodi rectè aut decenter vt debe-
ret à Sacerdotibus administratur: Ie-
circo nos Sanctæ Catholicæ, & Apo-
stolicæ Ecclesiæ, veterem, generalem,
atq; approbatam consuetudinem, quo
ad, Domino suffragante, poterimus,
seruare, & restituere cupientes; dile-
ctis nobis in Christo Scholarum Re-
ctoribus, & Magistris, præsentis
Decreti, tenorè præcipimus, & man-
damus, vt quos instituunt, vel erudi-
unt:

unt Scholares , in Scholis Parochia-
lium Ecclesiarum , ad vnius speciei
vsum, sedulo adhortentur, & suo alio-
rumq; exemplo assuefaciant, & fideli-
ter de eius veritate pro captu eorun-
dem informet; Et quia parentes &
propinqui Scholarium à commu-
nione vnius speciei filios subinde re-
trahere solent, Parochus, & Scholæ
Magister communicatis consilijs, cum
parentibus & propinquis agant, eosq;
diligenter & benignè admo-
neant, ne
huic ordinationi quæ inter cætera ad
ipsius Scholasticæ disciplinæ confor-
mitatem retinendam plurimum facit,
contradicant, quod tum obtinebunt
facilius, vbi illos accuratè docuerunt,
ex fide Catholica esse, tantum sub vna,
quantum sub ytraq; specie contineri,
ac ita sanctam Ecclesiam semper cre-
didisse: Parochi etiam & confessarij
in

in audiendis confessionibus, confiten-
tes, vbi opus erit, de veritate huius
Sacramenti & legitimo eius vfu in-
struant, eisq; sedulo inculcent magis
necessarium & tutius esse vt se reli-
giosè & antiquissimæ consuetudini
Sanctæ matris Ecclesiæ accommodent,
quam vt paucorum Neothericorum
non recte vtentium exemplum perpe-
ram imitentur. Omnes ieiuni, parati,
ac ab omni prius peccati letiferi for-
dibus, per confessionem expiati ad
hoc Sacramentum accedant, admone-
anturq; yniuersi, à suo quisq; Parocho,
vt in Sacramenti Eucharistiæ dispen-
satione astantes, genua flectant, atq;
piò cordis affectu, sanctissimū hoc Sa-
cramentum adorent. Ad infirmos Ve-
nerabile Sacramentum vna ad mini-
mum hostia in ciborio relictâ de porte,
tur debita cum reuerentia, luminari-
bus

bus videlicet accensis, & signo campanulæ adhibito: Sacerdos vero stola, & superpelliceo decenter ornatus, inter eundem Psalmos recitet, moneatq; Parochianos suos, vt illud deuote comitari non intermittant; neq; prope-
ranter, sed moderato & graui incessu progrediatur. Et cum summos Principes aduenientes, summo honore excipere, & comitatu nos adiungere soleamus; summum quoq; honorem huic Sanctissimo Sacramento, in quo Rex Regum præsens est, vt exhibeamus, recta ratio, & sacri canones nos docent. Quo circa diligentem operam dabunt omnes ij, ad quos huius Sacramenti administratio pertinet, vt in ijs Ecclesijs, vbi fieri potest, sub Baldachino, seu Umbella, tam ad ægrotos, quam in processionibus publicis deferatur. Cubiculum quoque infirmi ab omnibus for-
dibus,

dibus, & inquinamentis purgetur atq; sacris exornetur imaginibus, mensa etiam, in qua hoc Sacramentum reponi possit, munda mappa tecta, & luminaribus accensis sit parata. In Ecclesijs habeantur vascula argentea, in quibus vtraque species tutò absque effusione, & corruptione conseruari, & ad infirmos deferri possit, maximè in ijs locis, vbi vtriusq; speciei vsus ad huc retinetur. Sacra hostiæ bis vel semel in mense renouentur. In eorum verò gratiam, qui sub vtraq; specie hoc Sacramentum sumere contendunt, in frequentioribus communitatibus, vt pote ciuitatum, & oppidorum vtraq; species asseruari poterit, & sæpius renouari. In locis vero Ruralibus, non nullorum infirmorum consuetudini, qui vtramq; speciem petunt annuendum est, si prius Missæ sacrificium Parochus celebra-
R 2 braue

brauerit : vbi infirmi ne ad extrema
vitæ momenta huius Sacramenti vsum
semper differant à Parochis sunt ad-
monendi.

DE SACRIFICIO

MISSAE.

Caput VII.

Vteorum rationem habere-
mus ad quos animæ cura in
communitatibus duntaxat
agricolarum pertinet, hunc certum or-
dinem circa missarum solemnia, die-
bus Dominicis & festis peragenda, in-
ter ipsos obseruari volumus, eumque
maximè ad eorum quibus præsent de-
uotionem accommodatum, quæ multis
adminiculis, vt infirmitati, & simplici-
tati ipsorum consulatur, suffulcenda
est. Post tertium campanæ pulsum,
& aquæ

& aquæ lustralis benedictionem, per-
acto circuitu, in quo publicè preces
ab Ecclesia de more instituuntur ; Sa-
cerdos pluuiale, quo indutus erat, ante
altare deponat, casulam assumat , &
Missam continuò exordiat, Schola,
vel ministro Ecclesiæ, Introitū Missæ,
Kyrieleyson, & Gloria, concinente:
quibus finitis, & Epistola iam lecta,
Precentor vnā cū tota Communitate,
aliquem sacrum hymnum, in vernacula
lingua, ipsis familiarem loco Grada-
lis, decantet : Post Euangelium &
Symbolum decantatum, Sacerdos ca-
sulam ante altare deponat, suggestum
ascendat, & plebem verbi Dei prædi-
catione reficiat. Absoluta concione, &
precibus de more dictis, ad altare ite-
rum accedat, & assumpta casula, sacrum
continuet. Post elevationem SS. Eu-
charistiæ, quam populus flexis genibus
adorare

R 3

adorare debet, alias hymnus in lingua
vulgari decantetur, & sacro finito,
populum data benedictione in pace di-
mittat. In illis verò Ecclesijs Rurali-
bus, in quibus hymnos vulgari lingua
decantari consuetum non fuit, sed vbi
totum officium latinè canitur, nihil
immutandum est, quin imo Parochos
hortamur, vt in Ecclesijs Ruralibus
vbi scribæ, & Scholares sunt, omissis
Germanicis hymnis, dum celebrant
consuetudinem latinè cantandi totum
officium Missæ introducant. Curabi-
mus autem eorum, qui maximè huic
mysterio, & fidei Catholicæ integri-
tati congruunt, delectum fieri & quem-
admodum ordine secundum Missæ par-
tes, & festi solemnitates decantari de-
beant, typis excudi.

Sancimus præterea, & præcipimus,
ne quis Sacerdos solus ad celebrandā
Missam

Missam accedat, sed ad minimū vnum
adhibeat ministrum, qui eum modeste
vna cum libro dum è Sacristia ad Al-
tare progreditur, antecedit, & ad
publicas orationes, Ecclesiæ nomine
det responsum. In altari, quod deceter
ornatum & duabus mappis seu toba-
leis tectum esse debet, duæ candelæ
ardeant. Præter corporale mundum sit
etiam substratorium: palla qua calix
regitur non ex membrana, sed puro sit
linteo, & cum purificatorio, non cum
sacculo calix mundetur. Sacris vesti-
bus iisdem nec laceris, nec sordidis, nec
malè compositis se induant, sic induti
nemini loquantur, aut per Ecclesiam
discurrant, vel inter celebrandum in-
quietè circumspèctent. Cum de Sa-
crario egrediuntur, id faciant demis-
sis oculis, non festinanti, & incompo-
sito incessu: Genuflexiones in actione
sacri

sacri Canonis circa consecrationem
hostiæ, & calicis: item quotiescunque
post consecrationem hostia & calix est
tractandus, decenti motu corporis
fiant, manibus altari innixis, & scabel-
lum subpedaneum flexo genu dextro
attingant.

DE PŒNITENTIA.

Caput VIII.



Ubi regeneratos postquam
ad rationis usum peruene-
runt, ex Dæmonis sugge-
stione erga DEVM infestet ingra-
titudo, ut iustitiam ipsius beneficio, &
gratiam in Baptismo susceptam ægrè
conseruent, & tueantur; sæpe etiam
prorsus amittant eandem, noluit sane
omnipotens, & in misericordia ditis-
simus DEVS, opus manuum suarum
omnino

omnino perire, qui ob peccati seruitu-
tem in dæmonis potestatem deuenis-
sent, sed Pœnitentiæ Sacramentum,
quo lapsis post Baptismum, beneficium
mortis Christi applicatur, in reme-
dium vitæ instituit. Ab illius igitur
salutari usu, & fructu, ne aliquis
ignorantia vel errore, quod hoc seculo
frequenter euenire solet, desistat, sed
ad eum quærendum vtiliter excitetur:
Idcirco statuimus, ut post hac in ijs lo-
cis, ubi maior necessitas vel euidens
utilitas propter populi frequentiam
id postulauerit, de confessione pecca-
torum instituenda, in initio Quadra-
gesimæ Catechismus hunc in modum
doceatur. In Ecclesia, inter pueros
duos, prius ad hanc rem instructos, &
idoneos, Dialogus fiat, de requisitis, &
ad confessionis integritatem; & Pœ-
nitentiæ veritatem pertinentibus: idq;

S

in

in praesentia Parochi, cui curae erit,
aliquid explicatius, si astantium utili-
tas id requireret, adijcere. Parochis
ad hoc utile erit, ut diligenter se exer-
ceant in lectione alicuius summæ ca-
suum conscientiae, & librorum supe-
rius à nobis nominatorum. In admi-
nistratione huius Sacramenti, eandem
omnes, & formam verborum, & absol-
uendi obseruent modum. Formata lis
sit: Ego te absoluo ab omnibus pecca-
tis tuis, in nomine Patris, & Filij, &
Spiritus Sancti Amen. Modus autem
hic est, Misereatur tui omnipotens
DEVS, & dimissis omnibus pecca-
tis tuis, perducatur te in vitam æternam,
Amen. Dominus noster Iesus Chri-
stus, qui est summus Pontifex, te absol-
uat, & ego autoritate illius, licet
mihi indignissimo concessa, absoluo te
in primis à vinculo excommunicatio-
nis,

nis, suspensionis, interdicti, & quan-
tum possum, & tu indiges, deinde te
absoluo, ab omnibus peccatis tuis, in
nomine Patris, & Filij, & Spiritus
Sancti Amen.

Passio Domini nostri Iesu Chri-
sti, & merita Beatissimæ semperque
Virginis Mariæ, & merita Sanctorum
omnium, & quicquid boni feceris, &
mali sustinueris sit tibi in remissionem
peccatorum, in augmentum gratiæ,
& præmium vitæ æternæ, Amen.
Vade in pace & noli amplius peccare.

Ante festum Paschæ, aut in Qua-
dragesima, singuli Parochi, singulas
obeant domos, inquirentque diligen-
ter, & inscribant numerum eorum, qui
& confiteri, & sacram Eucharistiam
sumere teneantur. Animaduertant
deinde, an confessi fuerint, & commu-
nicauerint: Hoc enim modo agnoscent

oues suas, & eos, qui ad Eucharistiā non accedunt. Non prætermittant etiam Parochianos suos exhortari, vt ad hoc Pœnitentiæ Sacramentum (cuius administratio laboriosissima est) non demum in vigilia S. Paschæ accurrant, sed potius si fieri possit in oppidis certis tribubus, in villis verò vbi ad vnā Ecclesiam plures villæ pertinent, Communitatibus villarum certos nominent dies, quibus ad conscientias exonerandas Ecclesias accedant, præter id integrum erit cuius, animi sui puritatem, frequenti peccatorum confessione conseruare.

Medici aduertant, ne faciliè ægroti suscipiant curam, antequam ipsi de spiritali salute fuerit prouisum, à qua ad corporalem medicinam salubrius proceditur; & salubrem Pij V. Sanctæ mem: obseruent constitutionem, de
ægrotis

ægrotis post triduum non confessis, per medicos non iuuendis.

Quotiescumq; euenerit, vt confessarius pœnitentem qui in casum reseruatum incidisset, absolvere non possit, eum ad nos, vel ad alium habentem facultatem absoluendi mittat; si pœnitens id facere recuset, suscipiat id curæ confessarius, vt tacito nomine illius, & cautè, ne sigillum confessionis violetur, casum referat ad eum, qui eiusmodi facultatem habet, & absolutionem impetret.

DE EXTREMA VN- CTIONE

Caput IX.



Vemadmodum Clementissimus Saluator noster, seruis suis quouis tempore vo-

S 3

luit

luit de salutaribus remedijs aduersus
omnia, omnium hostium, tela esse pro-
spectum ; ita Extremæ vnctionis Sa-
cramento finem vitæ tanquam firmis-
simo quodam præsidio muniuit, ma-
ximè cum vehementissimos aduersarij
nostri insultus, sub finem vitæ expe-
riamur. Non igitur intermittant Pa-
rochi hoc Sacramentum fidelibus ad-
ministrare periculose infirmantibus;
idque decenter peragant, stola, & su-
perpelliceo induti, capite detecto, lu-
mine accenso, adhibita vnctione sacri
olei sub consueta forma : Per istam
vnctionem, indulgeat tibi **DEVS**
quicquid oculis, auribus & similibus
deliquisti: Neque omnes corporis
partes invngant, sed eos duntaxat,
quibus natura hominis, tanquam or-
ganis sensuum prædita est: videlicet,
oculos, pedes &c. Sicuti in Agenda
habetur:

habetur: partes inunctas bombice, aut
stuppa abstergant, eiusque combusti-
cineres in sacrarium mittantur.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

Caput X.

DVm Sacri conferuntur or-
dines, character inuisibi-
lis animæ imprimitur, ma-
gnaque ad sacra Mysteria peragenda,
& dispensanda, tribuitur potestas, ideo
tanto magis Ordinandorum qualitas
attendenda est, quanto ex illis, dum mi-
nus cautè discernuntur, maiora in-
mentibus fidelium scandala, & diuini
cultus contemptus deinceps gene-
rantur. Quia igitur à minoribus Or-
dinibus, ad altiores gradus, & Sacra
Mysteria ingressus obtinetur; nemi-
nem:


nem ijs initiari volumus , quem non
scientiæ spes maioribus ordinibus
dignum ostendat,quemadmodum Tri-
dentinum Concilium constituit. Hi
verò ad sacros ordines Presbyteratus,
post hac non admittantur , nisi absque
mora Diaconi facti, & nisi aliter nobis
visum fuerit, ad nostrum Seminarium
Clericorum se recipiant, atq; in eo tam
diu, donec totum illud tempus, quod
pro maioribus Ordinibus consequen-
dis à lure statutum est ibidem commo-
rentur. Quo fiet vt acuratiùs, quan-
tum sit huius disciplinæ pondus, edo-
ceantur, ac in vnoquoq; munere, iuxta
præscriptum superiorum istius loci
exerceantur : & Sacramentorum præ-
terea tradendorum , maximè quæ ad
confessiones audiendas videbuntur
oportuna, & rituum, ac Cæremonia-
rum formas ediscere queant : Regula-
ribus

ribus duntaxat exceptis ; qui tamen
nisi institutionis suæ , morum, & do-
ctrinæ coram Examinatoribus nostris,
sufficientem rationem dederint , ne-
quaquam in Ordinandorum numerum
adscribantur. Conuenit autem ad ma-
iorem reuerentiam , & maiestatem
huic Sacramento conciliandam , vt
cum cantu solenni, sacri Ordines in
Ecclesia Cathedrali, nisi nobis, vel
Suffraganeo nostro aliud visum fue-
rit, conferantur, præsentibus & assi-
stentibus Ecclesiæ, Canonicis & Præ-
latis. Cum ab Archidiacono ordi-
nandi examinantur, Suffraganeus vna
cum Domino Scholastico, Officiali;
& Cathedralis Ecclesiæ Conciona-
tore , & Notario Capituli ab ipso
Archidiacono vocentur, simulq; in cu-
ria nostra vel alio loco commodo con-
ueniant; ij interrogent ordinandos de
T omnibus

omnibus quæ ipsos scire oportet.
Quod si quis prædictorum Domino-
rum, iusta de causa examini interesse
non potest, alius vt substituatur lice-
bit.

DE MATRIMONIO.

Caput XI.




Ortamur contrahentes Ma-
trimonium, vt in Ecclesia,
non alibi contrahant; eos-
demq; monemus, quod, nisi ex Trid.
Concil. præscripto Parochum & te-
stes adhibuerint, matrimonium irri-
tum erit, & contrahentes ad sic con-
trahendum erunt inhabiles. Vt im-
pudentium hominum vitetur temeri-
tas, qui frequenter per fraudem, ac
nefas, multas diuersis locis vxores
ducere audent; mandamus, vt Concil.
Trid.

Trid. ea de re seruetur Dectetum: ne
temerè Pastores, hominès ignotòs cum
Sacramenti contumelia coniungant,
& ne quis alterius Parochianos sinè
expressa Parochi, aut nostra licentia,
ac facultate, audeat copulare.

Proclamationes ante matrimoniũ
veteri mori consuetas, & Decreto
Conc. Trid: demandatas, non omit-
tant Pastores; examinenturque con-
tracturi, num aliquo impedimento
prohibeantur, vt coniuges inter se
esse non possint. Si coniecturam ha-
beat Pastor impedimenti, Nos, seu
Archidiaconos, & Commissarios nostros
consultat, antequàm matrimonio iun-
gat, de quibus dubitat. Qui legitimum
impedimentum sciens reticuerit, &
nihilominus coniunxerit, arbitrariam
certam tamen pœnam incurret.

DE CEREMONIIS ET OFFICIIS DIVINIS.


Caput XII.

 Ceremonia Catholica in multis Ecclesijs nostrae Dioecesis negligenter peraguntur: cum autem his pietatis, & Religionis Christianae signaculis, simplicium mentes in DEI cognitione eleuentur, aliorumque Christianorum corda in commemorationem beneficiorum à diuina bonitate collatorum euehantur, & ubi fides, & deuotio accrescat, Spiritus Sanctus operetur, ac praesentium animos moueat efficaciter, conuenit sane, ut illa sic in Ecclesijs religiosè conseruetur. Nullae verò Ceremoniae nouiter inuentae, & non approbatae, in Ecclesijs peragantur, aut

aut recipiantur, sine nostro iudicio, & approbatione. Et cum non raro contingat, ex aliena Dioecesi Parochos in hac Dioecesi Parochijs praefici, & eosdem ritus in celebratione Missarum, ac aliarum ceremoniarum, ac Sacramentorum administratione diuersos adferre: diuersis etiam agendis uti, operam dabunt Archipresbyteri, ut ab omnibus vniformis modus, & ratio obseruetur, quae in Agenda Ecclesiae Metropolitanae Gnesnensis, de ceremonijs Ecclesiasticis fuit promulgata.

DE PROCESSIONIBVS.

Caput XIII.

 N publicis supplicationibus, & stationibus obeundis, quorum scriptura attestante magna est, & utilis necessitas, adhortamur.

tamur omnes in Domino, vt in iisdem supplicationibus, modestiæ, & pietatis memores, à quacunque leuitate, risu, colloquio, & confabulatione abstineant, eaq; deuotent, quibus diuina maiestas magis ad iram prouocatur quam ad miserationem inducitur. Quilibet propterea clericorum habitu decenti, & ordini suo conuenienti induatur, locum suum competentem occupet, Rosaria vel breuiaria in manibus gestet.

DE CANTILENIS GERMANICIS.

Caput XIII.



Vm etiam ex antiquo more, iuxta diuersitatem temporum, diuersæ cantilenæ, in lingua vernacula, in Ecclesijs huius Dioce-

Dioecesis à fidei populo, vel ante, vel post concionem, soleant decantari: eam sanè consuetudinem, vt laudabilem, & deuotioni plebis inferuentem, approbamus, & perseverare cupimus: ita tamen, vt nulla cantio cantetur, quæ non in libello, quem in hunc usum singulariter imprimi curabimus, contineatur; Porro illi cantionum libri, qui ab hæreticis sunt compositi, vel qui hæresim sapere videntur, quibus ministri Ecclesiarum in quibusdam locis vti consueuerunt, omnino tollantur.

Ministri Parochiarum, quos scribas vocant, absque vestitu, & habitu corporis decenti, quo se ministros esse DEI, & Ecclesiæ demonstrent, in choro psallere, aut cantare non audent.

DE RELIQVIIS.

Caput

Caput XV.

VT Reliquiis veris Sancto-
rum, in quibus Spiritus San-
ctus aliquando habitavit, &
quæ de futura corporis glorificatione
nos commonefaciunt, debitus honor
exhibeatur; eas in honestis loculis
asseruari, in loco conspicuè ornato col-
locari, nec non in publicis fidelis po-
puli deprecationibus, & supplicatio-
nibus cum omni veneratione circum-
ferri mandamus. Prohibemus etiam
ne à laicis cuiuscunque sint ordinis,
vel dignitatis Reliquiæ parum reue-
renter attingantur, tum ne quisquam
ex capsulis, vel reliquiarijs, absque no-
stra licentia aliquid eximere præsu-
mat: secus facientes: dignis poenis
coërceantur.

DE

DE HORIS CANO-
NICIS.

Caput XVI.

AB eo tempore, quo diuini-
tus, primum e medio plebis
selecti sunt, qui essent Sa-
cerdotes DEI altissimi: Sacerdotum
semper fuit officium, orare pro populo:
Quamvis enim Christus verè summus
Sacerdos, tempore nouæ legis vno
sacrificio sui corporis, in cruce mundi
peccata tulit: orationis tamen neces-
sitas neganda non est, cuius certè præ-
cipua cura Ecclesiæ ministris incum-
bit. Meminerint igitur omnes & sin-
guli in Sacris Ordinibus constituti,
sanctionis illius in Lateranensi Con-
cilio promulgatæ, & à Pio V. Ponti-
fice, felicitis recordationis, amplius de-
claratæ,

V

clarata, quomodo illi, qui in precibus
canonicis absoluendis negligentiores
reperiuntur, poenas amissionis fructu-
um beneficii incurrant, nouerintque
tales cum condigna satisfactione ad
restitutionem esse compellendos.

DE BREVIARIO

ROMANO.

Caput XVII.

Inter multa, quæ Religio-
nis Catholicæ commendant
unionem plurimum etiam
facit, vniformis precandi, & orandi
ratio, & modus: cum Romana igitur
Ecclesia in dicendis psallendisq; horis
Canonicis, conformitatē introducendam
laudabile censemus, cū quod Breuiariū
Dioecesanum à nonnullis minus casti-
gatæ lectionis insimuletur; tum quod
Romani

Romani officij, accuratior perfectio, &
integritas, vsum eius omnibus Eccle-
sijs commendet, facile in promptu sit.
iamq; à multis Dioecesanis, & in pri-
mis Nissæ in Seminario Clericorum
recitetur. Idcirco statuimus, & ordi-
namus, vt ab omnibus Clericis secula-
ribus, quocunq; nomine censeantur,
huius officij vsus post hac recipiatur.
Ad Officia verò quod attinet, quæ in
choro Ecclesiæ sub notis Gregorianis
decantantur, dabimus operam, vt pri-
mo quoq; tempore ad Romani Breuia-
rij formam, quo ad fieri potest accommo-
dentur. Quemadmodum & ea: quæ de
patronis huius Prouinciæ peculiaria
habentur, seorsim imprimi curabi-
mus, vt Breuiarijs Romanis
aptè inferi queant.



V 2

DE

DE MORIBVS.

Caput I.



Si diligenter ea expendimus vitia, quæ passim his deploratis seculis, selectissimum Christi ouile infestant; vix grauius, aut perniciosius sese offert, quàm quod in ipsis Dominici gregis ductoribus reperitur, à quibus præclara bonorum operum exempla, & vitæ merita expectanda erant. Quare diligentiori opus esse censemus admonitione, vt si totum ouile sanum, & integrum cupimus, omnia ea à Pastoribus resecemus, vnde infectionis in grege periculum metuatur. Si enim vnica ouis morbida, à toto gregis corpore secernitur, & remouetur, ne contagio in reliquas serpat, cum vnus, quàm multorum iactura leuior sit, quis non videt

DE

V

videt

videt in ouili Christi multo maiorem sollicitudinem requiri? vt non solum morbida oues excludantur; verum etiam opera detur, vt cuius manu & ore pascenda & nutrienda sunt oues, à cuius dispensatione, & cura gregis, vel salus, vel perniciēs dependet, is integra sit valetudine, incorruptis moribus, planeque vitijs vacuam, & in fontem afferat mentem; quod facile eueniet si & officij sui, & se Pastores, & Sacerdotes DEI esse, sanguinemque ouium ab illorum manibus requirendum meminerint; si SS. Patrum exempla in animum reuocauerint, qui corpus & animam DEO consecrantes, exteriores etiam sensus & affectus, ita refrenarunt, vt luculentissimo sui exemplo, cum intima humilitate, & conspicua integritate omnia ad gloriā DEI, & proximi ædificationem conferrent,

V 3

ferrent,

ferrent, Neq̃ verò sufficit, Sacerdotem à vitijs immunem esse; quinimo decet, vt virtutum gemmis exornatus, in populi conspectum prodeat, & munere suo fungatur, certoque sibi persuadeat, nullum rei Ecclesiasticæ, benè, feliciterque administrandæ, & populi procurandæ salutis, efficacius præsidium esse, quam si de virtutibus differentem, velut speculum virtutum coràm inspiciant, & admirentur.

Admiratio enim ad imitandum incitat & allicit, mirabilem amoris nexum conciliat, acciditque, vt ad monitoris vel Ducis exemplum suos quoque mores componere, & accommodare conentur, & in emendationis progressu inter sese certent.

DE CASTITATE.

Caput II.

Omnes



Mnes & singulos Clericos, inprimis vero Prælatos, & Canonicos seriò monemus, & adhortamur, vt se ipsos omni tempore, & moribus conspicuos, & pietati castitatiq̃ deditos exhibeant. Contra eos autem, qui in conspectu populi decus Sacerdotale per sceleratam concubinatus foeditatem turpiter prostituere non verentur, & in maximum animarum suarum detrimentum in eo perseverant, cum scandalo suspectas personas in domo vel extra detinentes; Constitutionem sacri Concilij Trid: tanquam salubre remedium opponimus, vt nisi infra mensem vnum, post huius Synodi publicationem, quam vim habere volumus peremptoriæ monitionis, ab huiusmodi excessu reipsa ac seriò destiterint, atq̃ personas huiusmodi penitus dimise-

dimiserint, pœnas in Concilio Trid:
& in priori Synodo Diocesana con-
stitutas, ipso facto incurrant.

DE SOBRIETATE.

Caput III.



Vi ebrietatem voluntariam
dixerunt insaniam, eamque
si in pauciores producat
dies, sæpius in manifestum euadere
furorem; plurium historiarum, tam
sacrarum, quam profanarum exemplis
edocti, retulerunt. Quotquot enim ex
summis Monarchis, & terrarum Prin-
cipibus, turpi huic ingurgitationis
vitio obnoxij fuerunt, ij cum alijs nec
numero hostium exercitu, nec im-
brium æstu, aut frigoris inclementia,
& horrore vincerentur, hoc vnico bi-
bendi insatiabili ardore, & scypho
fatali

fatali victi, maiestatem suam vario
vitiis genere labefactatam prosti-
tuerunt: vt de plebis fece, mentionem
faciamus nullam, apud quam eo tur-
piora flagitia ex hoc vinoso ebrietatis
fonte scaturiunt, quo plus affectuum
imperio regitur, vt in omni genere
detestandus sit ingurgitationis luxus,
quod tam corporis quam animæ infir-
mitatis causam, & materiam tribuat;
tum vel maximè in Ecclesiastici ordi-
nis hominibus, quorum sensus in per-
petua diuini ministerij actione vigere
debet. Ad euitandum verò ingens, &
periculosum malum, occasiones primò
abrumpendas esse censemus. Itaque si
aliqui ex Clericis dignitatis suæ imme-
mores, in publicis tabernis ex amore
luxus, non necessitatis alicuius euentu
versari, & scandalosius viuere præsu-
mant, in eos per Officiales, seu Com-
missarios

missarios nostros, diligentius animaduerti, & deprehensum, pro qualitate delicti arbitraria pœna volumus multari. Multo maior pœna illos maneat, qui pridie inebriati ad tremenda Myſteria peragenda, accurrerint, non expiati legitima pœnitentia, & ab aliquo designatorum confessorum absoluti: est enim valdè absurdum, præposterum, & indignum, quod Sacerdotes velint omnem reuerentiam huic Sacramento à laicis exhiberi, quam tamen ipsi, moribus, ac religione sua non declarent, & impudentissimo audeant ore, quod crapulam pridianam nondum decoxit, ad tantum sacrificium accedere.

DE CONFESSIONE.

Caput III.

Ad

AD animi puritatem conseruandam, cum maximè valeat peccatorum confessio, præcipimus omnibus, & singulis Sacerdotibus, vt quater ad minimum intra anni circulum peccata sua verè confiteantur, suis Archipresbyteris, vel alteri Sacerdoti licentiam habenti, & de hoc requisiti à Visitatoribus per schedam fidem facere teneantur, subsequentis tenoris. Anno tali &c. Die tali &c. Sacramentalem peccatorum Confessionem mihi N. fecit N. quod ego propriæ manus subscriptione testor. Quod si quis salutis suæ deprehendatur æquo negligentior, nec huic ordinationi nostræ locum dederit, vt impietatis suæ pœnam luat aliquam, illi partem fructuum suorum ipsi defalcandam statuimus, quæ fabricæ Ecclesiæ aut alteri pio loco, arbitrio nostro applicetur. **DE**

DE HABITU

Caput V.



Issi habitus non facit Monachum, oportet tamen Clericos tam seculares, magis autem regulares, & Monachos, vestes proprio congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestas intrinseca ostendatur: Et cum inoleuerit tanta non solum Clericorum secularium, sed & Regularium, & Monachorum temeritas, religionisque contemptus, ut vestes etiam deferant publice, statui suo non convenientes; pedes in diuersis ponentes, vnum in diuinis, alterum in carnalibus; monemus omnes qui nostrae iurisdictioni subsunt, ut habitum honestum clericalem illorum ordini: ac

ac dignitati congruentem deferant, sub poena à nobis, seu nostro Vicario, vel Commissarijs infligenda. Quia verò Regularibus, ac Monachis ex Regula cuiusque Ordinis determinatus est habitus, in colore, materia & forma: de secularibus verò Clericis multa tam antiquiora Concilia, tum Prouinciales, & Dioecesanæ Synodi decreuerunt, ijs ad huc insistendum censemus, & quicumque contra fecisse deprehensus fuerit, siue secularis, siue Regularis puniatur.

Sacerdote Primitias celebrante, æquum est auspiciū tanti Ministerij gratulatione publica hilariter excipi: sed ita tamen concedendum, ut eam gratulationem, ac læticiam nulla turpitudine vitiet; absit igitur in conuiuio temulentia, ludicra omnia, cuiusmodi sunt saltationes, choreæ, & huiusmodi

alia prorsus tollantur. Seruetur autem decorum per omnia, ac Sacerdotalis ratio habeatur dignitatis.

Qui detractores, & diffamatores aliorum existunt, & publicè vel secretè rixas disseminant, acerbè puniantur.

Cauebunt etiam ne ad seculare tribunal mutuo sese Clerici vocent, ne pecuniam ad vsuram præstent, aut contractus illicitos constituent, sub pœna amissionis pecuniarum: similiter, & fideiussiones pro secularibus euitent.

In ijs causis, quæ vinculum, aut fœdus matrimoniale concernunt, aut ab ea dependent, nemo cognoscere, concordare, transigere, aut definire præsumat, qui non ad hoc à nobis, vel à sede Apostolica facultatem obtinuerit: aliàs processus sententias, concordias, & transactiones eiusmodi iudicamus

camus & decernimus, nullas, & frivolas, & quæ meritò nullum debent sortiri effectum. Iudices Ordinarij causarum matrimonialium ante omnia curent, ne ignorent ea, quæ ad Sponsaliorum iusticiam requiruntur, sententiam latino, vel Germanico sermone publicent, eamque ommissis in ea decidendi rationibus, claram, & absque omni verborum ambiguitate concipiant. Nemo in tantæ avaritiæ prorumpat cupiditatem, ut lucri gratia aliena prædia conducat, vel alia re, illicita, & à S. Canonibus prohibita, cupiditati suæ satisfacere studeat.

Cumque omnes Religiosi, qui se diuino cultui, spretis mundi illecebris: deuouerunt, in altiorem sublati locum conspiciantur, & in eos tanquam perfectionis speculum, reliqui oculos conijciant, & ex ijs sumant, quod

quod laudabiliter imitentur : decet omnino vt ipsi status, & obligationis suæ sint memores, eaq̃ deuotè, quæ ab illius dignitate aliena sunt ; quæque ad eandem, tum augendam, tum retinendam faciant, sedulo exequantur.

Inprimis igitur decretis Tridentini Concilij inhærentes ordinamus, vt Monasteria, in quibus viget regularis obseruantia, si eorundem superiores admoniti infra sex menses non visitauerint, vt ad nos visitatio, & correctio illorum deuoluatur. Quod si prætenderint se à iurisdictione nostra esse exemptos, neque eam admittere velent, aliud nos facere non poterimus, nisi, vt secundum Concilij Tridentini: præscriptum contra ipsos procedamus.

Qui extra Monasteria viuentes, ita notoriè deliquerint, & populo scandalum exhibeant, à suis superioribus

bus dignis pœnis coerceantur : quod si à nobis moniti illud facere Superiores intermiserint, ne peccata impunita maneant, Nos ipsi in illos animaduertemus, auctoritate nobis à Trid: Concilio tributa.

Ea autem loca, quæ à deuoto scemineo sexu Religiosè inhabitantur sub Monastica disciplina, aut regulari obseruantia ; nemo ingrediatur, sed ex Pij V. se. rec. constitutione, Monastica clausura perseueret, nec sibi liberior extra diuagandi licentiam assument, neq̃ aliquo modo Monasterio egredi permittantur.

DE TEMPORA LIBVS.



Ollatores Beneficiorū Ecclesiasticorum, aut qui ius præsentandi habuerint, caueant,

neant, ne lucri alicuius gratia, aliquem
ad ea promoueant, nec quicquam vel
vltro oblatum accipiant, dignis tan-
tum, & habilibus personis, ea con-
ferant.

Quicumq; ius habent præsentan-
di, nobis, aut alijs, quibus ius Inue-
stiendi legitime competit, præsentent,
non autem de facto conferant.

Illud etiam in communi præcipi-
mus, & seriò mandamus quibuscunq;
Sacerdotibus, ne Parochias vllas sine
Canonica institutione, seruata forma
concurfus à Concilio præscripta acci-
piant.

Vbi etiam habenda est ratio eo-
rum, qui continuis, & perpetuis obse-
quijs deseruiunt Ecclesijs, ne ipsis, cum
pondus diei, ac æstus ferunt, in benefi-
ciorum, ac altarium collatione præfe-
rantur alijs, qui propter otium, & pi-
gritiam

gritiam non merentur, aut quos iura
etiam quo minus capaces sint exclu-
dunt.

Neq; vlla electio in quibuscunq;
Monasterijs siue exemptis, siue non
exemptis per absentiam Commissario-
rum nostrorum administrata, Cano-
nica, & legitima censeatur; sique con-
stitutioni huic alicubi non obtempe-
ratum, sed secus aliquid factum fuerit,
solenni præmissa protestatione, de nul-
litate actus procedatur.

Cum fermè omnes Parochi, aut de
tenuitate suorum proventuum, aut de
alienatione quorundam censuum, fru-
ctuum, agrorum, & similium; aut de
tarda, ac molesta decimarum solutione
conquerantur: volumus vt omnes Pa-
rochi, sua vera grauamina conscri-
bant, eaque quotannis in conuocatio-
nibus suis, Archipresbyteris tradant,

hi autem cum suis Archidiaconis, & Commissarijs nostris eam rationem ineant, qua his incommodis succurri possit, demum nobis rem omnem integrè indicent & exponant.

Et cum post obitum Altaristarum & Sacerdotum multorum Beneficiorum, & Altarium Regesta supprimantur, & beneficia Ecclesiastica sic paulatim intereant, aut in laicorum, seu etiam hæreticorum veniant manus: omnibus sub pœna amissionis, ac priuationis iniungimus, vt Regesta, vel literas censuum suorum reddituum, ac prouentuum, in originali, nobis intra trimestre spatium exhibeant, quæ in nostra Cancellaria, aut in Ecclesiæ, Cathedralis Archiuis asserventur: Copia autem seu transsumptum Authenticum Regestorum, & literarum ex nostra Cancellaria, Beneficiatis petentibus concedatur. Ne

Ne etiam propter imperitos, ac illiteratos Ecclesia detrimentum aliquod patiatur, aut animarum negligatur cura; Archidiaconis, & Visitatoribus nostris iniunctum volumus, & cum scitu & voluntate nostra ipsi, qui Parochijs præsunt, & vel ob ingenij exiguitatem, ac doctrinæ tenuitatem vel populi numerosam multitudinem, tanto oneri non sufficiunt, cogant Rectores adiungendos sibi coadiutores & Vicarios idoneos, & his congruam fructuum portionem assignent, & alias iuxta Trid: Concil: Decretum quod diligenter exequi curent.

Sæpius Parochorum negligentia, & incuria, ædificia sartatecta non conservantur. Vnde fit, vt Parochiani aliquando nimium grauentur, si domus, horrea, stabula, à fundamentis veluti ædificanda sint, Archidiaconi itaq; &

Visitatores, Parochos admoneant ut
sacratecta conseruent, aut patronos
Ecclesiæ maturè & in tempore certio-
res reddant, qui efficient ut ea mature
& opportune instaurentur.

In omnibus vniuersim Parochijs
obseruari volumus, aliquot ut Rege-
storum libri perpetuò extent, & à Pa-
rochis asseruentur. In priori omnia
Ecclesiæ eius Parochialis preciosiores
res, vasa aurea, argentea, & clinodia,
vestes sacras, aliâque cuiuscunq; generis
fideliter annotatas habebunt. In se-
cundum, baptizatorum, patrinorum, ac
parentum nomina diligenter inscri-
bent, cum anni, mensis, ac diei certa
consignatione. Tertius liber nomina
matrimonium contrahentium (ubi
temporis etiam exacta mentio adijci-
enda est) sibi vendicabit. Quartus no-
minibus eorum, qui ex hac vita dece-
dunt,

dunt, cum simili temporis annotatione,
inseruiet. Quintum solers Parochor-
um Oeconomica disciplina adijciet,
in quem redditus, census, fructus, pro-
ventus omnes, accuratè & integrè con-
scribent, & singulis annis repetent. In
prioribus quatuor libris conficiendis,
si perspicax Archidiaconorum oculus
calamum Parochorum, oscitantiorum,
aut negligentiorum repererit, non im-
punè quidem euadent Parochi: gra-
uius tamen, & quidem defalcatione
quartæ partis fructuum eos puniri
mandamus, qui in quinto libro confi-
ciendo voluntati nostræ, & constitu-
tioni huic non satisfecerint: sed tam in
Ecclesiæ, quam proprijs commodis
sotordes, & dormitantes fuerint re-
perti.

Ea bona, quæ ad Ecclesias, Mona-
steria, vel beneficia, spectant, non tan-
quam

quam propria, & sua, sed vt Christi patrimonium tractare; usurpare quicuis meminerit: inq; eum conuertat vsum, in quem fundatores olim humili in Deum obseruantia conuerti voluerunt; omnino autem non alienet, nisi in casibus à iure permissis, qui secus fecerint, pœnam priuationis, administrationis, & suspensionis, officiorum suorum incurrant.

Statuimus præterea, & ordinamus, vt eo tempore, quo Beneficiatis suorum beneficiorum possessio datur, præter antiqua, quæ extare volumus, noua iterum Inuentaria, & inscriptiones omnium bonorum tam immobilium, quam mobilium ad ipsa beneficia spectantium conficiantur, vel per Notarium publicum, si haberi poterit, aut alium ex illa communitate hominem fide dignum, aut per Vitricos etiam Eccle-

Ecclesiæ, qui omnia vasa sacra, vestes, fundos, agros, domos cum qualitatibus & confinijs suis accuratè annotabunt.

Omnes etiam Clerici Beneficiati studiosè inquirant, vt detentores iniustos, seu occupatores bonorum Ecclesiasticorum, seu decimarum, allodiorum, domorum, & censuum ad nos deferant, re prius cum Officialibus & Commissarijs nostris communicata: Idem fiet in eo casu, in quo impedimentum, seu diminutio aliqua in rebus ad Ecclesiam, vel beneficium spectantibus, infertur.

Ne Ecclesiarum, atque Ecclesiasticarum personarum immunitates, & priuilegia violentur, Præfæctis nostris seriò mandamus, sub grauissima indignatione, reliquos verò magistratus seculares vnà cum SS. Concilio Tridentino, obnixè rogatos esse volumus,

Z

vt

ut ea quæ non solum à Summis Pontificibus, sed etiam supremis Principibus concessa sunt, secundum Iuris Civilis, & Canonici dispositionem integra permanere patiantur.

Nemo Beneficiatorum debita enormia, & quæ facultatibus, & fructibus sui beneficii non respondent contrahere præsumat : quod si quis modum excessisse comperietur : Officialibus, Commissarijs, & Archipresbyteris iniungimus, ut absque ulteriori dilatione, rationem administrationis ab illo exigant, & terminum solutionis certum constituent. Quo elapso, si creditoribus non fuerit satisfactum, certa fructuum suorum portio, per curatores à nobis constituendos in hunc usum defalcabitur.

Si qui etiam ex Clericis, pupillorum, personarum miserabilium sunt tutores,

tutores, vel in posterum fient ; seriò prohibemus, ne absque facultate nostra, vel nostrorum Officialium, vel Commissariorum, bona mobilia, vel immobilia, multo minus pecuniam, quouis modo ratione tutelæ, ad se recipere præsumant.

Cum munera excoecent oculos Sapientum, & mutant verba iustorum, ultimâ hac constitutione monemus, caueant Iudices in foro Ecclesiastico, ne à partibus coram se litigantibus, munera quæcunque & quouis etiam prætextu accipiant ; si enim delinqui hac in parte aliquid animaduerterimus, ne impune ferant, nobis curæ erit.

Has constitutiones huic provincie, hisque hominum moribus accommodatas Illustrissimus & Reverendissimus, in Christo Pater ac Dominus

Dominus ANDREAS, Dei & Apostolicæ sedis gratia Episcopus Wratislaviensis, Coronæ Bohemiæ Princeps Ligius, Sac. Cæs. Maiestatis Consiliarius, & Supremus Superioris & inferioris Silesiæ Capitaneus, in Dioecesana Synodo vnanimi omnium approbatione publicari curauit, reseruata, humili obsequendi studio & singulari obseruantia Sanctissimo, D. N. Et Sanctæ sedi Apostolicæ liberissima censura, & iudicio. Sicuti enim seipsum Reuerendissimus, & Illustrissimus Dominus Episcopus Sanctitatis suæ voluntati permittit: ita expressa, & semel, acq̃ iterum solenniter repetita protestatione, testatum publicè fecit Reuerendissimus Dominus Episcopus, si quicquam S. D. N. Sanctaq̃ sedes Apostolica reperiatur, quod fidei Catholicæ articulis, sacrorum Canonum,

num Sanctionibus, vnitati & consensui Ecclesiæ; in primis SS. Oecumenico Concilio Tridentino quouis modo repugnare aut hæresis contraxisse saporem videatur: se id omne pro non dicto, non scripto habere, censuræ subiicere, & S. Sanctitatis Clementem, & benignam voluntatem, cui omnino obsecundare velit, expectare.


N Os Hieronimus Tituli Sancti Pancratij: S. R. E. Presbyter, Cardinalis Matthæius fidem facimus, & attestamus, decreta facta in Synodo Dioecesana Wratislaviensi, à Perillustri & Reuerendissimo Domino Episcopo Wratislaviensi, & ad S. D. N. missa: à sacra Congregatione Illustrissimorum Patrum Tridentini Concilij interpretum emendata, atq̃ aptata fuisse, nec non eorundem decretorum Originale apud ipsam Congrega-

gregationem remansisse, cum quo
huiusmodi Decreta hoc libello char-
tarum XXXVI. Quarum prima inci-
pit, Ordo & processus Synodi Dioe-
cesanæ &c. Postrema vero, Has Con-
stitutiones &c. Et desinit, velit expe-
ctare. descripta, & collata in omnibus,
& per omnia concordant. In quorum
fidem his propria manu subscripsimus,
& ab infra scripto Secretario item sub-
scribi sigilliq; nostri impressione com-
muniri mandauimus. Datum Romæ
die XXV. Augusti, M. D. XCIII.

Hier. Card. Matthæius.


Bernardinus Rossius pro
Secretario.







Ланг. О. М. 1919
1919

Консерв. 1 опр. 1919
Ланг. О. М. 1919
/1919/









Mela
Lysio
Deo a una
Vratilamini
1592.





